



A. Imp. von Lin. 1881





ILLVSTRE  
FRIDERICIANAE PIETATIS,  
ET PROVIDENTIAE  
IN PATRIAM, ET POSTERITATEM  
**DOCVMMENTVM,**  
post optatisimum  
**SERENISSIMORVM FILIORVM**  
*NATV MAXIMORVM*  
ex itinere Italico, & Gallico redditum,  
repraesentatum  
a  
CAROLO ALBERTO KESSEL,  
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI  
alumno ordinis supremi,  
habita coram ILLVSTRI concione,  
IX. DECEMBRIS CID IC CC XX.  
ORATIONE  
*de*  
*salutari patriae PRINCIPVM IVVENTVTIS*  
*peregrinatione.*  
Accessit  
**IPSIVS ITINERIS HISTORIA**  
delibata, & summatim descripta  
ab  
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI RECTORE,  
**GOTHOFREDO VOCKERODT.**



---

GOTHAE, LITTERIS IO. ANDR. REYHERI, TYPOGR. AVLICI.

HISTORICUS  
LIBRARY

WOLFGANG

LIBRARY



LIBRARY

WOLFGANG

LIBRARY

WOLFGANG

LIBRARY

WOLFGANG

LIBRARY

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS,

AC DOMINIS,

FRIDERICO,<sup>III</sup>,  
PRINCIPI HAEREDITARIO,

ET

GVILLELMO,  
DVCIBVS SAXONIAE,  
IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGRIAЕ, ET WESTPHALIAE,

LANDGRAVIIS THVRINGIAE, MARCHIONIBVS MISNIÆ,

COMITIBVS PRINCIPIBVS HENNEBERGAE,

COMITIBVS MARCAE, ET RAVENSBERGAE,

DYNASTIS RAVENSTEINII, ET TONNAE,

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS,

PATERNAE

PIETATIS, ET PROVIDENTIAE

DOCVMENTVM,

cum

delibata ITINERIS memoria,

submississime dedicat

ILL. GYMNASII GOTHANI RECTOR.

A 2

SERE-

# SERENISSIMI DVCES, PRINCIPES, ET DOMINI CLEMENTISSIMI,



Illustrata, decorataque VESTRA, & SERENISSIMORVM FRATRVM VESTRORVM praesentia coram concione quod redditis VOBIS vrbi patriae, & votis publicis pium officium testificandum non ita pridem suscepit submisissime bonae indolis, spectataeque modestiae, & probitatis adolescens patricius, *CAROLVS ALBERTVS KESSEL*, idque meditato, & recitato sermone gratulante, bonisque omnibus prosequente VOBIS reditum auspicatissimum, SERENISSIMIS PARENTIBVS pii, publiceque salutaris consilii successum, patriae gaudia, & spes maximas, implere sedem posse crediderunt parentes honestissimi, liberalissimique, & plenius suae non minus, quam filii, pietati satisfacere, si piae testificationis publice extaret, & ad posteros propagaretur memoria, vulgareturque suis sumtibus litterariorum pii officii monumentum. Quod vt in nomine VESTRO appareat, tanto minus, spero, dignabiinini, quo promptius dicentis consuluitis ingenuo pudori, & quo clementiore nuntiu

tu erexistis verecundantem, atque ita confirmastis, vt quod pie facere destinauerat, perficere potuerit audacter, & cum applausu, & gratia audientium. Nec recusandi amplius potestatem VOBIS concedunt certantia vota publica, & plurium hominum, ciuium, exterorum, conuersa studia in iuuentutis VESTRAE curriculum, modumque institutorum, quibus, ad quam nati estis, spem, fortunamque prouehimini. Conscii, & cupidi salutis publicae ciues dudum interpretantur, exterique suspiciunt, & admirantur singulare munus NVMINIS patriae propitii, copiosam SERENISSIMAE DOMVS SAXONICAE ERNESTINAE sobolem: maxime autem venerantur SERENISSIMORVM PARENTVM, quae in ea recte instituenda gloriose excubat, curam, & prouidentiam singularem; gratulanturque impense, quod opportuni admodum, & idonei ILLIS contigerint sanctissimi propositi, consiliique posteritati profuturi administri, qui ad usum, decusque nascendi fastigio dignum prouehere carissima PRINCIPALIS familiae pignora pro sapientia possunt, pro fide, & pietate volunt. Dederat propitius his terris Devs SERENISSIMI PATRIS PATRIAE PROAVO beatissimo, IOANNI IV. DOROTHEAM ANHALTINAM, matrem plurium heroum, qui cladi superiorum temporum, qua Germania inuoluebatur, intercederent, & eluctatam recrearent, pacisque artibus ornarent: dedit & SERENISSIMO PATRIAE PATRI ANHALTINAM, SERENISSIMAM MAGDALENAM AVGVSTAM, quae opponendos sequentium temporum periculo, & rerum asperitati incessuros non gigneret modo nouos heroas; sed, vt tales euadere possent, sapientissime, & solertissime prouideret IPSA, excluderetque diligentissime, quae PRINCIPALIS sobolis primis tirociniis obstare solent, & turbant maxime, hebetantque penitus prouidenter caeterum, & curate constituta magisteria, adulacionem videlicet, & sensum maternae indulgen-

dulgentiae: quae pro legitimae caritatis pignore, & indicio venditata perpetuum omnis educandae sobolis malum, iuentutis principum pestis est. Satis sane, & vulgo constat, DOMINICOS vtriusque sexus liberos curatiore disciplina contineri, custodirique arctius, quam plebeiam in scholis pubem. Atque adeo dudum cordi est PRINCIPALI DOMINI ERNESTINAE recta, & religiosa DOMINICAE sobolis institutio, vt si peccetur in partem alterutram: quod facile contingit in rebus humanis; facilius in prole educanda, vbi non raro ratione potior affectus est: malit ILLA seueritate peccare, quam indulgentia, non temere rata, illam hac minus contrariam moribus imperantium; securamque magnitudinis suae, etiamsi submittat suos acriori bonae mentis culturae: dum SAXONICORVM PRINCIPVM fortuna a nullo periculo longius abest, quam humilitatis. Cui sanctissimo negotio recte administrando sicut SERENISSIMVS PATRIAE PATER non deesse passus est, quantiscunque impensis redimenda, subsidia, & adiumenta, maxime autem, qui haec dirigeret, spectatae sapientiae, & fidei virum: ita non defuit pii consilii successus, & *instituti fructus* optatus. Diuino munere donata indoles nascendi fastigio digna, & summae spei par, in prima aetate sapientissimo indulgentiae temperamento conseruata, cum adolescerent, & suae fortunae conscientia esse coepissent PRINCIPES SERENISSIMI, prouocata ad studia rectissima, ad dignae summis principibus sapientiae, virtutis, & laudis decora, ornamenta, instrumenta: atque ad haec non diligenda solum, & delibanda pro libidine; sed amplectenda penitus, & persequenda strenue, incitata non auctoritate magis, quam SERENISSIMORVM PARENTVM exemplo: nec tam seueritate magisterii, quam assiduitate, fide, & prudentia magistrorum, ita effloruit, ac simul munita est, & confirmata institutis sanctioribus, vt inter exterros spectari posset,

set, & minus corrumpi. Et sane spectata est pene abhinc triennio, suspexeruntque, si famam etiam publicam interrogamus, GOTHANOS PRINCIPES, quotquot hi adspexerunt, populi exteri, veneratique sunt in ILLIS raram in illa aetate, rarissimam in iuuentutis principibus dotem, studii assiduitatem, & moris integritatem. Non formidanda est laudis inuidia, nec obtrectatio metuenda exprobrantium laudandi, vel adulandi vanitatem, si, quod vere dici potest, de GOTHANIS PRINCIPIBVS dicamus, quotquot terras lustrauerint, illustrasse admirandis virtutis, & industriae speciminibus, ac perpetuo frugalitatis documento. Fruetus is est non recte solum, & prouidentissime procuratae institutionis: sed & votorum publicorum patriae totius, piorumque ciuium omnium, quibus adhuc in itineris apparatu omnia personabant templa, quibusque diuinis auspiciis impense commendata sunt in patriae praefidum, & dulce decus natae DOMINICAE familiae pignora, quamdiu inter exteris periclitata, & variis iactata sunt itineris molestiis. Quibus non frangi, virtus fuit aetate maior: quarum impatientia *non detorqueri* ad captandas illecebras, quas beatores natali solo terrae cumulatissime offerunt, laus fuit maior, quam merentur, quibus aduersus mare naufragum, & infames scopulos, Acroceraunia, robur, & aes triplex circa pectus natura tribuit. Inter hos autem conuersos perpetuo ad recta, solida, & patriae, bonaeque, & eruditae mentis culturae, PRINCIPALISQUE decoris disciplinae profutura GOTHANOS PRINCIPES vt videre vix admirabilius vixum est exteris: ita audire ciues nihil laetius, gratius, desideratusque sibi visi sunt, quoties vel vulgatae publice actorum ephemerides, vel scriptae eorum litterae, quibus demigrationis societas mandata fuit, eius rei iniecerunt mentionem. Ita Gotha digressis cypri CCXIX, Maii xxvii. cum  
necef-

necessario lectissimorum virorum comitatu, & ante huius mensis finem Norinbergam aduentibus, non vacavit illa viciniae intercapedo, illud exigui temporis interuallum a rebus agendis indoli, proposito, & vitae instituto consentaneis. Bambergensis dioeceseos vicus nobilis, Pommersfelda, ut summi Germanorum praesulnis tempestiuus secessus esse possit, belle & lautissime aedificata, & qui eam eruditione sua, & humanitate maxime ornat, REVERENDVS S. I. P. Louisanus, dum praeter pictas tabulas Rubeni, Raphaelis Vrbinatensis, Pauli Veronensis, Antonii de Deigh, Danielis Seidelii, aliorumque celebriorum artificum operas ingeniosas spectandum exhibit, quicquid ad illustris, & florentissimae DOMVS SCHOENBORNIAE decus, & prorogandam ad posteritatem, qua nunc fruitur, gloriae memoriam hic colligitur, rarum, carumque: dum apud Erlangenses in palatio, a conditore CHRISTIANO cognominato, videndi datur occasio admiranda naturae, & artis opera: patuit, SERENISSIMOS GOTHANOS PRINCIPES ad spectandum oculos afferre eruditos, nec perfunctorie velle transmittere, quae scientiam possent augere, & accendere studium requirendi, peruestigandique nondum comperta. Tales, rebusque seriis, & pulcherrimis intentos cum deprehenderet vetusta sapientiae fama clara, cultusque Germanici custos, Norinbergensium ciuitas, vix dici potest, cum omni comitate excepisset ultimo Maii die aduentantes, quo coluerit studio apud se versantes? quo applausu, & gratulatione prosecuta sit altero Iunii die discedentes? Publico nomine datus est nobilissimus Ebnerus, index, comesque ad inspectandum armamentarium, curiam, castellum, bibliothecam publicam, & musea, Braunianum, Sandrartianum, Hautisianum, quibusque illa abundant, congregatas vnde cunque naturae, Martis, & artis opes, & opera admiranda, eruditae vetustatis monumenta,

## ITINERIS DELIBATA.

9

menta, & supellectilem humani cultus variam, singularis ingenii, mirique operis, & pretii maximi; atque inter ista praecipue AVGVSTALIA, quae nouis ROMANIS REGIBVS, & Germanorum imperatoribus solenni ceremonia inaugurandis adhibentur, ornamenta: quae ista ciuitas dudum custodit, & quoties opus est, non sine gloriofa ostentatione iuris, decorisque singularis, promit, conditque. Ad quae diligentius, & particulatim inspicienda dum veniunt SERENISSIMI PRINCIPES, superueniunt tres spectatissimorum reipublicae consiliariorum, Scheuerlinus, Imhofius, Holtzschucherus: quorum primus ipse singula visenda exhibet; sicut sacrorum antistitem, summe reuerendum Wulfererum, non piguit in publica, cuius praefectus est, bibliotheca scriptos manu codices copiosissimos, & rariora, quae tantorum principum cura, & studio digna visa sunt, monumenta particulatim repraesentare. Discedentibus inde, & contendentibus ad longioris morae, & studiorum certorum sedem, nobilem Allobrogum ciuitatem, Aureliam olim, nunc Geneuam, transiuntibusque Keysersheimium, Augustam Vindelicorum, Vilmam, Scaphusium, Tigurum, Basileam, vicinumque, recens Gallicana solertia munitum, vicum, Hunningam, Salodurum, Bernam, Lausannam cordi fuit audire, videre, requirere in templis, curiis, propugnaculis, armamentariis, bibliothecis, museis publicis, priuatisque, ac officinis variis operis, nec non alienis, vel diuersis a patro situ, vsu, cultu que montibus, collibus, aruis, pratis, hortis, aqueductibus, fluminibus, stagnis, artificiis hydraulicis, non quae sensus oblectare, & vana voluptate tantisper, dum praesto sunt, possunt delinire; sed augere peritiam, confirmare rectum de rebus iudicium, atque hoc pacto vndeunque capessere, vrgere, & exaggerare bonae, cultaeque mentis tantis principibus dignum habitum, & prudentiae olim reipublicae pro-

B

futu-

futurae apparatum , vsumque variarum naturalium , ciui-  
lium, & militarium rerum, actu, & experimentis propriis, &  
exploratis consequendum. Cuius laudatissimae destinatio-  
nis adiutores , & ministros promtos , fidosque non deesse  
passa est SAXONICI nominis dignitas, & veneratio antiqua,  
atque consecuta per uagatam ERNESTINAE, & FRIDERI-  
CIANAE pietatis tamam celebritas. Venerabundi ciuita-  
tum magistratus aduentantibus obuiam miserunt , qui nul-  
lum comitatis , & reuerentiae pignus, & indicium omitte-  
rent excipiendo, exceptosque desideratissime ducerent , co-  
mitarenturque ad apta instituto suo spectacula. Honoris  
caussa nominandi videntur, caeterum, virtute & meritis sa-  
tis clari, qui istud, & hoc officium imponi sibi passi sunt, vel  
certatim susceperunt, Basileae , ex senatorio ordine Nico-  
laus Harderus, Ludouicus Bauhinus, Emanuel Falckner,  
Ioh. Heinricus Gernler; ex academico Samuel Werenfelsius,  
Nicolaus Harscher, Iacobus Christophorus Iselius, & Theo-  
dorus Zuuingerus: apud Tigurenses Scheuchzerus, & Hot-  
tingerus: apud Bernatenses Martinus Bogdam. Excurren-  
tibus ex vrbe Basilea *Hunningam castelli praefectus*, DO-  
MINVS de Robert, non deesse passus est, qui SERENISSIMIS  
PRINCIPIBVS discendi cupidis , & recognoscendi Gallicani in-  
genii, operisque munitiones satis celebratas, demonstraret  
vallorum, fossarum, aggerumque formam, & modum. Fe-  
stinantibus quamuis ad memoratam studiorum sedem, in tan-  
to aestu, & contentione lustrandorum locorum, & rerum co-  
gnoscendarum, non graue visum est, & fraudi sumtuosae pe-  
regrinationi, Auguſtae Vindelicorum aliquandiu quiescere,  
& per solennia PENTECOSTALIA dies agere feriatos, & sacris  
vacare sermonibus, coetibusque frequentandis, ratis ex au-  
iae, & paternaे pietatis praescripto, & exemplo, sine propitio  
NVMINE, & munere SPIRITVS SANCTI, iustis, curatisque con-  
ciliato

ciliato precibus nihil rite, & prouidenter se moliri, nec optatos inceptorum suorum sperare posse successus. Qui certe satis feliciter sunt consecuti, dum vnius mensis spatio totius illius tractus ciuitates nobiliores sine offensione, vel singulare incommodo sunt emensi, perfeceruntque destinata ex voto, data simul, conciliataque occasione curiosioribus comitibus, maxime reuerendo Huhnio, vtendi fauore, & opera litteratissimorum virorum, & quae in Gothana bibliotheca palatina adhuc desiderantur, rariora monumenta, & reconditae litteraturae supellecilem inuestigandi in istarum ciuitatum bibliothecis: cuius notae plurima cum primis typographiae speciminibus, editis c10 CCCC LIX. Basileae, a doctissimo Iselio SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, comitibusque demonstrata esse, gratus ille praedicat. Adeo palam factum est, pia studia non aspernatos principes sapienter, & gentilitio splendori conuenienter versari posse inter exterros. Patuit magis sensus ille, animusque SERENISSIMORVM PRINCIPVM per longiorem illam, quam Allobrogum Aurelia praebuit, moram, & per quatuor mensium interuallum, quo apud Geneuenses sunt versati, vtpote a quibus, cum xxv. ivnii aduenissent, ante xxiv. OCTOBRIS non discesserunt. Non modo necessaria corporis, linguarum, artium liberalium, & litteraturae humanioris exercitia impigre hic vrgent, vacantque magistris clarissimis, Terrasio, equestris artis, Fioto, antea Sorbonico doctori, Gallicae, Caminadae, Italicae linguae, Ialleberto, mathematum, Mauricio historiarum; sed patientes etiam aures praebent tam sui patrii, quam Heluetici instituti, confessionisque professoribus, publicisque doctoribus sanctioris litteraturae, Picteto, Turretino, Legero, paulo ante laudato Mauricio, Vialo, Galatino, siue de cathedris, siue de rostris sacris, vel Germanice, vel Gallice, vel Italice perorarent. Tales tantorum principum mores, & studia Geneuensibus dum

dum rectiorum studiorum, & religiosioris disciplinae fautoribus non obscuris, & aestimatoribus summis adeo probata sunt, vt, quod in aduentu honestando eorum famae dederant, & splendori gentilitio, cognitis postea, & spectatis darent meritis in abitu decorando: scilicet, sicut senior reipublicae syndicus, Tronchinus, cum consiliario du Four publico nomine exceperat aduentantes, ita abeuntes omni prosequi honore publice iussus est; ipsique SERENISSIMI PRINCIPES cum omnibus comitibus, satellitibusque in curiam ciuitatis inuitati sunt paullo ante discessum, exceptique magnifico, splendidoque conuiuii apparatu, & nulla non honoris testificatione: quae vt publice, & per vniuersae ditionis tractum notesceret, adhbitus est fragor catapultarius, & ter repetitus. Tot tantisque amoris, honorisque documentis cumulati Gothani PRINCIPES noluerunt a Geneuensibus discedere ingrati, & parum memores tam illustris, & effuse testati in se officii; circumspectisque rationibus omnibus, quibus palam, & diu gratos se praestarent, consulere coetui suo, patrioque sacrorum instituto apud Geneuenses addicto clementissime voluerunt; scriptisque ea de re ad SERENISSIMVM PARENTEM, quem rei EVANGELICAE amplificandae apud exteros, in loco tam illustri, non defuturum confidebant, litteris rogarunt, impetraruntque, vt idoneus semper e patria sua Geneuensi Lutheranorum coetui contingere antistes. Nec talis diu hic quaerendus fuit, cum praefato esset ingenio, doctrina, & vitae proposito commendatissimus Koethenius, qui protinus ad ordinandam istam spartam Geneuam SERENISSIMI PATRIS PATRIAE nostri prouidentia, & clementia missus est, & auctus stipendio liberali. Debebunt Geneuenses Lutherani desideratissimis hospitibus suis, SERENISSIMIS PRINCIPIBVS GOTTHANIS, quod sacrorum suorum administer commodus deesse non possit in posterum. Hoc pacto in aditu longioris peregrina-

grinationis praeparatis, & aliquo pie, & solerter agendi usu  
obfirmatis ad agendum caute, & prudenter extra patriam,  
munitisque aduersus corruptelas Transalpinas facilius contin-  
gere potuit, quod non adeo multis principum filiis pere-  
grinantibus solenne est, in iuuentute peregrinari, & non  
corrumpi. Cum prouisum esset, deliberatumque Romae, &  
Lutetiae Parisiorum discendi caufsa longius morari, in pe-  
tendis illis studiorum sedibus ea itineris habita est ratio, vt  
interiecta, & vicina loca non obirentur perfunctorie; sed lustra-  
rentur impensius omnia, & vndeunque captarentur scientiae  
augendae adminicula, & tantis PRINCIPIBVS dignae prudentiae  
subsidia. Ideo relicta prima studiorum sede, Geneua, Italiam  
ingressuri SERENISSIMI PRINCIPES, quamuis ad alteram con-  
tenderent, transirentque, quanta possent, festinatione Cenisia  
Cottiarum Alpium iuga, Camberium, & Augustam Tauri-  
norum: quam redeentes ex Italia inspecturi erant diligen-  
tius; Mediolani tamen, quo pridie solennium S. Caroli  
Borromaei; qui hic colitur impensius: III. videlicet NOVEM-  
BRIS veniunt, in alterum morantur annum, nec ante ix. IA-  
NVARII cīcīcc xix. inde discedunt. Quod ne facere dubitarent,  
praeter loci dignitatem antiquam, vtpote clarissimi per plu-  
ra secula Lombardici regni domicilii, suasit, inuitauitque sin-  
gularis humanitas praefectorum, supremi prouinciae, SE-  
RENISSIMI PRINCIPIS de LOEBENSTEIN, & castelli,  
ILLVSTRIS COLMENERO, nec non praecipuorum illius  
tractus procerum, VICECOMITVM, aliorumque exquisita,  
& testatissima studia in hospites desideratissimos, SERENIS-  
SIMOS PRINCIPES GOTHANOS; nec minus rerum spe-  
ctacula auxerunt ipsius supremi praefecti, qui XXVI. DECEM-  
BRIS deceffit, exequiae, eiusdem mensis xxx. celebratae.  
Interea diligentissime inspectum, lustratum, & excussum est,  
quicquid in vrbe, & vicinia, in palatiis publicis, priuatisque,

in castello, & propugnaculis, in aedibus sacris, & ciuilibus, in basilica ECCLESIAE CATHEDRALIS: quae orbis terrarum admirationem in se conuertit: in templis reliquis: quorum octoginta & vnum numerantur: in veterum monumentis: inter quae Ambrosiana rudera memorabilia sunt: in bibliothecis, & museis splendidum, magnificum, rarum, festiuum, & iucundum, amoenumque est. Admiranda maxime visa sunt profecta ab optimorum artificum manu, & solertia signa, & tabulae pictae in palatiis ILLVSTRISSIMORVM comitum, Castelbarci, Lucini, Pallavicini, Marchionis Aioldi: deprehensa in bibliotheca Ambrosiana MSta, & inter haec Iosephi codex, arborum corticibus inscriptus, & Leonardi Vincii opus mathematicum, redemptum numis aureis Ludouicianis maioribus ter mille, siue tricies mille imperialibus: Septaliani musei deliciae singulares: ipsius noui patroni Mediolanensium: qui vt propter merita a Clemente VIII. superiore seculo incipiente, referretur inter sanctos coelites, illi facilius impetrarunt, quam S. I. patres, eundem honorem suo autori, & ordlnis conditori tunc frustra expentes: S. videlices Caroli Borromei statua aenea sexaginta cubitorum, imposita stylobatae cubitorum triginta, editoque monti: ac ita dictae Borromeae insulae, tria nimirum palatia, quibus lacus Verbani, vulgo *Maggiore*, sinus occupatur, splendidissime aedificatae, & regalis opulentiae apparatu, hortisque vt pretiosissimis, ita amoenissimis ornatae: quorum primum vulgo *Isola bella*, alterum *Isola Madre*, postremum *Isola de pescatori* appellatur: nec non sacrarium suburbanum praecipuum, Carthusianorum in Ticinensi tractu, primi Mediolanensium ducis, Ioannis Galeatii Vicecomitis, sumtibus extructum coenobium, refertumque omnis generis, ad usum, decusque pertinentibus, monumentis, & instrumentis exquisitissimis. Accesit inter spectacula publi-

ca

ca ceremonia, qua viro sacerdoti, Ioanni Baptistae Berengario, Nicea oriundo, ordinis honor, & dignitatis gradus ab archiepiscopo abrogatus est. In his vrbis, regionisque deliciis, ornamentisque demonstrandis, ac aperiendis interioribus castelli propugnaculis, & subterraneis munitionibus, quae vix aliis patent, suam praecipue operam versari voluit, qui apud Mediolanenses chiliarchae munere, & honore fungitur, eques Thuringicus, ex suburbani Gothae vici, Eberstedt, dynastis oriundus, generosus DOMINVS Ianus, vtpote qui SERENISSIMIS PRINCIPIBVS GOTHANIS, filiis dominicis, adesse, eosque opera, & studio adiuuare impensso, quamdiu in isto Italiae tractu versarentur, sui officii esse putauit: quod illi probarunt, praedicaruntque clementissime. Mediolano digressos ix. Ianuarii. cito cc xix. exceperunt eiusdem ditionis loca, Laus Pompeia, vulgo *Lodi*, Piceleo, vulgo *Picighetone*, ex ruinis Fori Iutuntorum instauratum oppidum, & Cremona. Quae cursim contemplati XI. Ianuarii in nobilem, & Roma antiquorem Italiae vrbem, Mantuanam concesserunt: cuius praefectus, SERENISSIMVS HASSORVM PRINCEPS, PHILIPPVS, cum eundem auum maternum haberet, quem paternum post fata venerantur SERENISSIMI GOTTHANI PRINCIPES, ERNESTVM videlicet PIVM, desideratissimos hos suos propinquos e sinu, & complexu suo, post cumulata honoris, & benevolentiae in eos indicia, tertio demum die, xiv. Ianuarii, quamuis festinantes, per Veronam, amphitheatro claram, & Vincentiam, ad salutandam nobilem litterarum, & liberalium artium officinam, Patauium, dimisit. Retinuisset ipsos SERENISSIMOS PRINCIPES, comitesque curiosiores clarissima haec studiorum sedes diutius, vberiusque exsatiasset visendarum rerum pulcherrimarum, & summorum ingeniorum noscendorum varietas, nisi tempestiuia, quae Venetiis quotannis agitantur, procerum Europae comitia

mitia huc festinare coegissent. Sicut liberae Graeciae ciuitates sub Olympicorum, aliorumque ludorum nomine seriis, & necessariis consultationibus aptos conuentus potuerunt instituere, & clam agitare ad tutelam patriae pertinentia, dum palam luditur: ita dudum proceres Europae, ad Veneta bacchanalia confluentes, haec simulare, & Curios se praestare potuerunt, & sine offensione dignitatis, solennibusque publicorum negotiorum impedimentis, superstitione ambitu, & curatiore, quam legitima comitia poscunt, ceremoniarum & rituum custodia, destinata perficere, publicis, priuatisque usibus conuenientia agitare, & obtainere. Ad haec comitia Veneta cum SERENISSIMI PRINCIPES XIIII. Ianuarii venissent, ab ILLVSTRISSIMIS cornitibus ibi versantibus, legato Caesareo, COLOREDO, & summo rei militaris Venetorum praefecto, SCHVLENBVRGIO, omni honore, & comitate sunt excepti; naetique occasionem explorandi istius instituti solennia omnia, noscendi plures Europae proceres, contemplandi opulentissimae vrbis opportunitates, ornamenta, & cimelia, lustrandique vicinas insulas, maxime claram Iudeorum, & acatholicorum sepulchris, *Lido dictam*, nec non Muran. Inter haec spectacula transmissa est reliqua Ianuarii, & maior Februarii pars: cuius XXII. die iter Romam dirigere coeperunt, absolueruntque X. Martii; peragratis interim, & diligentissime lustratis quibusdam nobilioribus interualli istius Italici vrbibus, Ferrara, Bononia, Fauentia, Catholica: quam quidam veterum desideratum, nec a Cluero inuentum Crustumium credunt: Pisauro, Senogallia, Laureto, Recinetto, Macerata, Tolentino, Puluerino, Colfiorito, Fulginio, Pesignano, Spoleto, Interamnia, vulgo *Terni*, Narnia, Oriculo, Ariniano, Castronouo, curatiisque inspectis Lauretanis cimeliis, horologio Maceratae, singulis horis duodecim apostolos repraesentante, & cataractis Ternianis. Orbis

bis olim, vrbiū certe adhuc, caput Roma, destinata SERENISSIMIS PRINCIPIBVS altera studiorum sedes, eos diutius morata est, tres videlicet integros menses: vbi oculis usurpare poterant, quae dudum audientibus, legentibusue visa fuerant admiranda. Nec deesse poterant commodi rerum hic cognoscendarum duces, & autores, ex quo, qui SERENISSIMIS PRINCIPIBVS & studiorum, & itineris prouidenter instituendi dux, & autor praecipuus fuerat, summe reuerendus CYPRIANVS, cum doctissimis, qui Romae florent, viris litteraria commercia, testata satis Romae etiam editis monumentis, habuerat, potuitque circumspicere, & diligere, qui istis rebus consulere, & curare possent, vt Romanum studiorum curriculum non sine sperato fructu, successuque obiretur. Nec recusauit commendatam hanc operam suscipere insignis litterator, quem agitatum cum Montfauconio certamen eruditis notum reddidit, clarissimus Ficaroni, clarior in posterum, si scriptioes eruditissimae, in quibus singularis eius industria desudauit, fuerint publicatae. Huius consilio, opera, & fide magistra factum est, vt SERENISSIMI PRINCIPES in vrbe, & vicinia admiranda omnia viderent, diiudicarentque rectius, quam fieri solet a plerisque peregrinantibus. Ita non facile latuit, quicquid in vrbe dignum est contemplatione, in Capitolio, Amphitheatro, arcubus triumphalibus, statuis: quarum duodecies mille numerantur: columnis, quarum quater mille dicuntur superesse: Petri basilica, eiusque facellis subterraneis, palatiis pontificiis in Vaticano, & monte Caballo, nec non Farnesiano, Pamphiliano, Gualtierino, Chigiano, Borghesiano, Barbariniano, Iustiniano, Altierino, Ludouiciano, Ruspiliano, Pallaviciniano, Ginettino ante, nunc Lancelottiano; vt & museis, maxime Kircheriano, a S. I. P. Bonani descripto, bibliothecisque notae melioris: quae in Vaticano, & supra Mineruam, nec non in Cardinali-

C.

um,

um, Imperialis, & Gualtieri, palatiis visuntur. Ibidem curiosius obseruata sunt rituum & ceremoniarum solennia, pompa equestris, qua summus pontifex ad Mineruae basilicam dederit, sacrata ANNUNCIA TIONI, quae D. VIRGINI contigit, VIRIDIALIA, XIII. PEREGRINORVM pediluuum, & epulatio: cui summus pontifex ipse administrum nomine, & specie adest: nec non pronunciata ex castello S. Angeli cum fragoribus catapultariis anathemata: qui in sacello pontificio in die palmarum ramorum consecrandorum celebratur ritus, in festo corporis Christi, quemadmodum summus pontifex appareat in coetu, & frequentia? quomodo epuletur cum Cardinalibus, excipiat legatos Caesareos, versetur in curia cum Cardinalibus? quae conclave, eius praesertim, in quo pontifices eliguntur, sit forma? quae ratio funerum Cardinalium, & principum: quae tunc spectari potuerunt, cum Cardinalis Spinolae, & principis Bauarici exequiae celebrarentur. Quibus locis solennibus, actibusque ut proprius adesse SERENISSIMI PRINCIPES GOTHANI possent salua dignitate gentilitia, suffecit illis, quem vere usurpabant, sumptus ab vna paternae ditionis dynastia, COMITVM TONNENSIVM titulus. Quales constanter se ferentibus non defuerunt tamen singularia studia, quibus prae aliis illustribus aduenis honestarentur, legati Caesarei, & postea proregis Neapolitani; ILLVSTRISSIMI comitis Gallafii, Cardinalium, Gualtieri, & Schrotenbachii, aliorumque curiae Romanae procerum. Inter haec dum laudato Ficaroni, rerum antiquarum, & Coffinio, Italicae linguae magistro vacant, nec temere ullam discendi opportunitatem negligunt, non praetermittenda tamen fuerunt, quae suburbana, & vicina dum celebrata loca, Tusculum, Tibur, & Neapolitanus tractus rerum pulchrarum, & natura, cultuque admirandarum offerunt spectacula. Petentes XXI. Aprilis Tusculum, quod hodie

hodie Frescati appellatur, recreant, detinentque spectandae belle, splendideque aedificatae villæ Luculli, Ludouicianæ, Pamphiliana, Beluedere, & Borghesiana: quæ il monte Dracone vulgo appellatur: cum hydraulico miri operis apparatu. Dum xxvii. Aprilis Tibur, quod hodie Tivoli appellatur, inuitat, obuium in itinere mirabilem cum insulis natantibus contemplantur lacum: cuius generis naturae miracula copiosius offert ager Neapolitanus. Ad quem perlustrandum cum iv. Maii iter ingressi essent, vi. eius mensis Neapoli a prorege, ILLVSTRISSIMO comite Thaunio, singulari honoris, comitatisque testificatione excipiuntur, fruunturque desideratissimo spectaculo agminum Cæsareorum, nauibus imponendorum, & in Siciliam transuehendorum, atque occasione noscendi plures summae dignitatis, PRINCIPALISQUE originis, belli duces, ipsumque supremum Anglicanae classis praefectum, successibus florentissimum, Bingium. Contemplati ibidem catacumbam Puteolos contenderunt, obuiaque mirati sunt antiquorum monumentorum rudera, specum caninum, antrum Sibyllinum, montes sulphureos, thermas. Vesuui autem montis incendia quamuis quotidie ex ipsa Neapolitana vrbe spectari possent, cordi tamen fuit xvii. Maii eadem intueri proprius, & oculis vrsupare, curatiusque excutere, quæ *terrae laboris*: quod regionis istius tractui nomen est: officinae interiores moliantur, quisque laborantis, & contrariis elementis conflictatae naturae foetus sit? Inde Romam xxii. redeuntibus per sinum Caietanum non praetermissa est petra cum interiore facelio, quæ Christo paciente erupta celebratur. Romae autem cum ad x. Iunii ita versati essent SERENISSIMI PRINCIPES, vt indolem, & studia summis probassent proceribus, horum, maxime eminentissimi Cardinalis Gualtieri, suffragatione, & commendatione aliis Italicis proceri-

C 2

bus,

bus, virtutis, & sapientiae fama clarioribus, apud Senenses Marchioni Cenini, Florentiae, Marchioni Ridolfi, Bononiae Marchioni Angelelli, Mutinae Comiti Boscetti, tanquam de manu in manum traditi sunt, horumque autoritate doctissimorum virorum, qui in Italia reperiuntur, nec non qui bibliothecis, museis, & numophylaciis praesunt, voluntates ita sunt conciliatae Gothanis PRINCIPIBVS, ita prouocata ad hos adiuuandos, ornandosque studia, ita conuersa ad deliniendam discendi cupiditatem, quam in tantis PRINCIPIBVS admirati sunt, opera, & industria, vt emetiendus reliqua aestate Italiae tractus singulari cum fructu potuerit transfiri; atque obuia fuerint apud Senenses: quo XII. Iunii concesserunt, iueneruntque pro relicto Romae desideratissimo Ficaroni eruditae antiquitatis, nouitatisque curiosae promumcondum, D Battistellum: in Hetruria portu, vulgo *Liuorno*, & apud Pisanos: ad quos XV. Iunii venerunt: Lucae, & apud Florentinos: quos XIII. Iunii salutarunt; atque in cultissima huius vicinia, nec non Bononiae: quae eos ad VI. Iulii detinuit: apud Mutinenses, Parmensesque: inter quos a IX. Iulii ad X. morati sunt: apud Placentinos, & Genuenses: ad quos XIV. Iulii diuerterunt: nec non Augustae Taurinorum, quae XXII. Iulii salutata per duos, & quod exurrit, menses studiorum, & exercitorum illis sedem praebuit, terminusque fuit absoluti Italici itineris maxime opportunus: quae alios omnes, quamvis curiosos, sed minus commendatos desideratos, expectatosque, quam sui propositi, & exempli fama, & publica approbatio Gothanos PRINCIPES reddiderat, fefellerent; fuissentque praetereunda, etiamsi studio omni, & impensa industria expedita, & quaesita, tanquam thesauri reconditi. Serenissimis autem PRINCIPIBVS nostris cum summorum, ad quos diuertebant, PRINCIPVM vtriusque sexus, REGISQUE SARDINIAE: qui in Italici itineris

neris fine salutatus est: singularis fauor accederet, dignitate originis non magis, quam virtutis fama conciliatus, & praesentia ipsa, probique moris documento non parum auctus, nihil in Italiae deliciis publice extantibus tam diffusum, & distractum, nihil in cimeliis tam reconditum, in apparatu litterario tam rarum, in artium officinis tam curiosum, in munitionibus tam clandestinum fuit, quod illis non repraesentaret, aperiret, demonstraretque deuincta memoratis artibus procerum gratia, & administrorum fides: quos non piguit eos deducere ad interiora, arcana recludere omnia, & notare distincte, a cuiuscunque artificis manu profecta sint suspensa in spectaculum signa, & tabulae? quibusque indiciis notescat opera, manusque Hannibalis Coraggi, Tirini, Guidonis Rheni, Titiani, Paruggi, Iulii Romani, Buonarotae, Leonardi dal Vinci, Tindoretti, Crispi, Correggii, Parmigiani, Carpi, Nicolai Abbatis, Parmegenini, Passani, Albani, Guercini, Dominichini, Procaccini, Caroli Maratti, Scedoni, Lucae Jordanis, Petri Peruggini, Francae, Alberti Dureri, Leonelli Spadae, Fiamingi, Fantici, & supra memoratorum nobiliorum pictorum? Nec graue fuit eminentissimo Cardinali, Legato Bononiensi, Cusani, procurare, ut a SERENISSIMIS PRINCIPIBVS GOTHANIS non penitus solum externa inspectarentur, quae Bononiae videntur, monumenta publica, & palatia vetustatis, pretii, & operis singularis, templum videlicet amplissimum S. Patronii, cum stabulis omnibus, primicerii, decani, praepositi, prioris, archipresbyteri, xx. canonicorum, xiv. mansionorum, xx. capellanorum l. clericorum xl. musicorum: templum S. Dominici cum huius, & Hentii memorabili monumento: templum S. Saluatoris cum MSto pro Esdrae autographo venditato: templum S. Michaelis in Busco cum coenobio vetustissimo: quod ccc lxvii. conditum memoria-

C 3

tur:

tur: templa S. Francisci, Petri, Pauli, Bartholomaei; & hoc cum turre pendente, vulgo *Garisenda* appellata; sed interiores etiam curiae PALATII MAIORIS, & administrorum ordines, dignitatisque nomina, nimirum auditores, iudices Antiani, consules, secretarii, scribae, archiuarii, notarii, nec non vniuersum MARSILIANVM INSTITVTVM cum officinis artium omnium, quae ad ornanda pacis, bellique tempora pertinent, apparatu copioso, & admirando abundantibus, vt & bibliotheca, referta Turcarum, & Arabum MSis codicibus: quos ipse totius instituti autor, & conditor, ILLVSTRISSIMVS MARSIGLI, bello oppressis possefforibus eripuit, cum inter duces, & supremos praefectos militaret. Nec Parmensium litteratorum eos fugit insignis industria in recensendo numorum, & librorum apparatu, spectata publicatis XXI. maioris formae voluminibus, XIV. rei litterariae, VII. numariae describendae impensis. Augustae autem Taurinorum, cum intercederet clarissimi belli ducis, Rhebinderi, studium in SERENISSIMOS PRINCIPES Gothanos singulare, ita conciliata illis est regia familia, familiarsque usus facta est potestas, vt, sicut academia scientiae, ita regia aula imperatoriae prudentiae schola esse potuerit. Neque enim in tot, tantisque rerum, & fortunae vicissitudinibus, quae in potentissimi SARDINIAE regis aetatem inciderunt: quae ipsum potentissimarum Europae reginarum patrem, & territorium EIVS bellorum sedem fecerant: exercitus, eruditusque magis ad omnem virtutis, & artis imperatoriae laudem hoc principe potest cogitari; nec principibus iuuentutis contingere magister idoneus magis, & opportunus. Itaque NOSTRIS nihil optabilius esse potuit, quam in alterum mensem versari in ista regia sede, regiae familiae adesse frequentes, & inuitari ad epulandum, & venandum cum rege, vtpote vbi omni honore, & discendi summa opportuni-

tunitate ornati, cumulatique sunt. Tanto autem magistro quam probati alumni visi fuerint SERENISSIMI PRINCIPES Gothani? quam desiderati in regia vrbe academici? quam grati domui regiae hospites? adparuit sub diceßum. Sicut summis militiae praefectis, laudato *Rebbindero*, *Schulenburgio*, & ILLVSTRISSIMO GVERNATORI, comiti *de la Rocca* negotium datum fuit, eos comitandi, siue interiora castelli munimenta inspicere, & alias vrbanas delicias perlustrare, siue Riuolum, & in suburbanos secessus regios alios voluerint diuertere: ita cum xxix. Sept. omni honore, & fauore regio cumulati discederent, sedecim regum ministri Aulianam, ad coenam lautissime praeparandam, missi sunt, qua desideratissimi hospites cum comitatu suo exciperentur; Susamque postridie transeuntes e castello *la Prunette* dicto catapultarii fragores honestarunt ingressos, & repetiti sunt, cum lustratis munitionibus discederent. Relicta tandem Italia, tam feliciter, quam curiose peragrata, illa studiorum sedes, quae secessui longissimo destinata fuerat, Lutetia Parisiorum, ita petebatur, vt non segniter, & incuriose quae transeunda essent loca, obirentur, praecipue Lugdunum: quod viii. Octobris auspicatissime sunt ingressi superatis Cenisii montis iugis, Monmeliano, Camberio, Echelle; & inde non perfunditorie perlustrato S. Brunonis coenobio, quod vulgo *La grande Chartreuse* appellatur, eiusque MAGNO PATRE, reuerendo Montchauffonio, diligenter salutato, antequam per Pontem Bellouicinum, siue veterum Labisconem, ad Lugdunensium vrbem peruererunt. Ampla haec, & variis vetustatis, & recentissimi cultus documentis veneranda vrbs diutius, & hebdomadam integrum morata est SERENISSIMOS PRINCIPES, intentos contemplandis publicis, quibus illa ciuitas abundat, monumentis, excutiendisque templo S. Ioannis cum memorabili horologio, coenobiis,

biis, & religiosorum collegiis, bibliothecisque, maxime S. I. quam archiepiscopus, Camillus de Neufuille, luculenta accessione reddidit copiosissimam; nec non palatiis publicis, nimurum curiae: quam ornat superstes Claudii tabula aenea, ciuibus Lugdunensisibus senatorii ordinis Romani ius tribuens: domui caritatis, ad forum Ludouicianum: quod non ita pridem ex Bella curia, pristino nomine, factum est, cum aenea Ludouici XIV. statua hic collocaretur: satis splendide aedificatae; vt & granario amplissimo mercatorum Germanicorum. Inde xv. Octobris digressi Rhodiumnam ad Ligerim, Molinas, Niuernum, Conadam, Montargium, & Fontem Bellaqueum, vulgo *Roane, Moulins, Neuers, Cosne, Montargis, Fontainebleau* transeuntes inspectant, antequam salutant Parisios. Hos ingressi SERENISSIMI PRINCIPES XXI. OCTOBRIS CIC 15 CC XIX. ante IX. Augusti CIC 15 CC XX. non reliquerunt. Hospitium praebuit in suburbio S. Germani conductum diuersorum singulare, vulgo *l' Hotel de Bourgogne* appellatum, situmque e regione palatii Luxemburgici, in platea Tardunensi, vulgo *la rue de Tournon*. Praesto sunt celebriores magistri linguae Gallicae, supremi senatus aduocatus Lancifer, Brice, Leopold; & artis equestris, Sandeuil: qui, quamprimum REX a SERENISSIMIS PRINCIPIBVS esset salutatus: quod prima vice XXIX. Octobris contigit: visitatique essent, post salutatam SERENISSIMI DVCIS AVRELIANENSIS, tantisper imperantis, domum, regiae prosapiae, potentioresque regni proceres: quod paullo post factum est: studiis suis, & opera solertissima vacua a necessariis officiis, litterariis, & exercitationibus aliis EORVM tempora occupent, & distingant, vt & hic, sicut in Italicis secessibus, appareat, sic institutos, animatosque GOTHANOS PRINCIPES, vt studia rectiora pertinacissime ament, ac ubiuis pro ludicris seria, pro vanis solida deligant, & persequantur, nec ab his laboribus,

boribus, & obiectis apud exteris difficultatibus, itinerisque molestiis vllis se patientur deterreri, vel illecebrarum, & lenociniorum peregrinorum insidiis auferri in transuersum: quae subinde peregrinantibus optime institutis fraudi esse solent, & euertere virtutis, laudisque curriculum prouidentissime constitutum. Procul istam mentem, moremque esse a peregrinantibus PRINCIPIBVS GOTHANIS, spectatum est maxime vltimo hoc anno, in praecipuo orbis terrarum theatro, in publica luce, sub conspectu, & iudicio tot procerum, tot exterorum, legatorumque, qui Parisiis solent ex diuersis nationibus confluere; nec minus in celebrioribus vrbibus prouinciarum Gallicanarum, quas SERENISSIMI PRINCIPES emensi sunt: quos in perpetuo praeclararum rerum actu, & pulcherrimorum studiorum agitatione viderunt, non solum quo ex Parisiensi secessu diuerterunt, frequentata ab exteris vicina Lutetiae palatia, & castella, Versaliae, Trianon, Marly, S. Cloud, Meudon, Vincennae, Escouuen, Chantiliacum, Liancourt, sepulchris regiis, & thesauro insigne, ac iusto volumine Felibieni celebratum S. Dionysii fanum, nec non Seaux, la Meut, & alia ad Gallicani decoris, & solertiae ostentationem exculta loca; sed post discessum ex agro Parisensi Augusti x. Fons Bellaqueus, xii. Aureliae, xvi. La ferté, xvii. Castrum nouum, xix. Beaugency, xx. Blesae, vulgo Blois, vicinumque regium palatum Chambord, xxii. Caesarodunum, siue Martinopolis, vulgo Tours, xxvi. Chapelle blanche, xxvii. Salmurum, xxix. Richelieu, xxx. Andegauum, vulgo Angers: Septemb. vi. Nannetes, xiv. Rupella, vulgo Rochelle, xvii. Rea, insula, & castellum, Fort de la Pret dictum, xviii. Rupifortium, vulgo Rochefort, xx. Santones, xxii. Blavia, vulgo Blaye, xxv. Burdegala: Octobris iii. Tolosa, vii. Narbo, x. Mons Pessulanus, vulgo Montpellier, xii. Nemausus, vulgo Nimes, xiii.

D

post

post praetermissum Pontem Gardonis Pons S. Spiritus, xiv. Vienna, xvi. Lugdunum, xxviii. Diuio, vulgo *Dijon*: Novembris i. Vesontio, vulgo *Besançon*, v. Befortium, vi. Rubacum, vii. Nouum Brisacum, viii. Argentoratum; priusquam eos in Germaniam, patriamque reduces xix. Heidelberg, xx. Darmstadium, & Francofurtum, xxiiix. Isenacum, xxix. Gotha excepit. Non piguit PRINCIPES SERENISSIMOS in peragrandis istis vrbibus omnibus circumspicere, contineplari, & requirere studiosissime locorum situm, naturae opes, dotesque, populorum mores, ciuitatum instituta: cultus antiqui, & Romanae vetustatis vestigia, rudera, & reliquias, pontes, arcus, porticus, & amphitheatra; recentis solertiae specimina, & documenta illustria in templis, palatiis, munitionibus: in peruestiganda, & conseruanda supellecile antiquaria: in excolenda re litteraria, militari, rustica, nautica, in fabrefaciendis operis mechanicis, in artium experimentis tentandis, in comparando vario apparatu rerum ad humanum cultum, usum, decusque pertinenterium. Quibus moribus non minus, quam gentilitiae dignitatis, & domesticae laudis fama conciliati summi regni proceres, praefulesque, hospites, & legati, ac inter hos Russorum monarchae minister, antea SERENISSIMI PATRIS PATRIAEC confiliarius, & legatus, ILLVSTRIS DOMINVS de SCHLEVNITZ, non defuerunt, quibusunque rebus possent, adiuuando SERENISSIMORVM PRINCIPVM instituto, studiisque expediendis; praefectisque prouinciarum eadem ubiuis ornanda, & honestanda diligentissime commendarunt. Ita non Parisiis solum; sed per Gallias vniuersas SERENISSIMIS GOTHANIS PRINCIPIBVS patuere, exposita, & repraesentata sunt recondita, pretiosa, & curiosa omnia. Isto pacto NOSTRIS SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, comitibusque, non sine singulari fructu, studiorum successu,

&

& patriae emolumento transmissus est inter Gallos annus peregrinationis ultimus. Etenim explorata, & perspecta sunt nationis, procerum, ciuium, exterorumque hospitum, & legatorum plurium, qui ibi solent degere, ingenia, studia, morum, rituumque solennia, negotia, commercia, certamina litteraria, & ecclesiastica: nec obscura manserunt regni amplissimi, & potentissimi commoda, praesidia, & ornamenta; nec pro illorum temporum ratione, in tanta rerum, & commerciorum conuersione, occulta esse potuerunt vulnera, damna, & incommoda, quibus proceres, clerici, populusque sunt confitati. Dum nomine, consiliisque, & destinationibus magnus ille Ludouicus XIV. sub imperium orbem terrarum cogere, & rei Christianae modum dare, & formam instituerat, quae illi religiosorum ordini, cuius studio, & opera vtebatur, destinationique, & impotentiae suae conueniens videbatur, dilapidatae sunt ad subsidia, & adiumenta tantae molis instituti quaerenda, & vndeunque, quantocunque pretio, redimenda tanti regni opes, aurumque, & argentum dimittendum fuit ad exteris; ac, dum inter hos liberalissime spargitur Ludouicus aureus, & argenteus, chartae in Galliis pro numo valent, & tantisper tantae destinationis, imperiique vim, fidemque male sustinent. Periculo autem, & ruinae regni impendi dum circumspiciuntur remedia: quod contingere solet in rebus humanis: ipso morbo acriora tentantur. Id aetum est, vt famoso actorum nomine aureus, argenteusque Ludouicus reuocaretur, & repeteretur ab exteris, inter quos temere sparsus erat, & extraheretur ex occultis opulentorum thesauris; fuitque, qui solicitanda ditescendi cupiditate efficeret, vt pro reddendo, & restituendo in regiam, procurumque potestatem auro, & argento, spe lucri maximi, chartae signatae acciperentur, atque haec tantisper valerent pro numis. Quae res cum versantibus in Galliis SERENISSIMIS

D 2

PRIN-

PRINCIPIBVS nostris agitaretur, memorabili ILLI rerum,  
& commerciorum commutationi, & perturbationi interfuerunt, qualis vix audita est vnquam. Ac dum, destinatae monarchiae apta, noua instituta religiosa, quae pro verbo prophetico, & apostolico, sicut pro aere chartas, valere iussisset LVDOVICVS ille magnus, ac ferro, & igne coegeriset, tanta autoritate sublata, certatim oppugnantur, & cum ordine, eorum architecto, exploduntur, contrariaque placitis nouis, & recens constitutis quantacunque autoritate, iudicia totius ecclesiae CHRISTIANAE iudicio, siue concilio, submittuntur: facile intelligitur, quam in tanto animorum motu, & inter acerrima doctissimorum virorum certamina nudari oportuerit interiorem rei ecclesiasticae conditionem, & quam potuerit confirmari rectum de rebus diuinis iudicium, SERENISSIMIS PRINCIPIBVS Gothanis a pueris inculcatum, amarique patrium sacrorum modum, saluti non minus animae, quam patriae libertati aptum, & accommodatum? Sane proprius inspecta, & penitus cognita labes interior, & ruina tam foeda tanti regni, pacis, belliique artibus dudum ornati, & firmati ad inuidiam, formidinemque non vicinorum modo principum; sed orbis pene vniuersi documento esse potuit, quam irrita, & fraudi imperantibus sit immensa potentiae cupiditas, & quanto satius sit, aequo, & moderato imperio regere subiectos, quam infinite multiplicare regendos. Nec minus patuit, quam infidum sit sacrorum temperamentum, quod seruire debeat ambitioni: quo conscientiae hominum parere iubeantur vniuersi impotentiae, quantiscunque praesidiis humanis intenti: quibus in Galliis effici non potuit, vt quiesceret obtructatio, desinerentque cordati refragari supremae autoritati, constituenti a iudiciis obnoxiorum etiam abhorrentia. Adeo Gallicanus secessus hoc tempore schola, & officina esse potuit

potuit ciuilis, ecclesiasticaeque prudentiae: rectiusque imperare, & religiosius tractare, & regere sacra funestis exemplis, clade intestina, & perturbatione summa ordinis docuit alumnos non incuriosos. Conuersos sane fuisse SERENISSIMOS PRINCIPES inter peregrinandum ad locorum omnium, praecipue tamen Gallicanorum, res, quae in foro, choroque geruntur, quae in naturae atriis reperiuntur, factitantur in artium officinis, agitantur in circulis: nec contemplatos eas perfunctorie, & tanquam in transitu; sed cupide amplexos discendi opportunitates omnes, & has persecutos impense, speculatoresque se praestitisse aspidos, impigros, indefessos antiquitatis, nouitatisque: nec recusasse itineris, laboris, & vigiliarum molestias villas, quoties vetera, vel recentiora inuenta, instituta, & experimenta occurrerent spectanda, & excutienda, constaret profecto luculentissime, si vulgarentur ephemerides, quas comes itineris, & facrorum administer, maxime reuerendus Huhnius, diligentissime confecit. Extaret, credo, exemplum illustre PEREGRINATIONIS PRINCIPVM prouidenter, & auspicato institutae, finitaeque fructuose, & feliciter; atque hoc pacto illustraretur vberius SERENISSIMI tantae spei PRINCIPVM, & patriae PATRIS, FRIDERICI nostri pietas, & prouidentia in ciues, & posteros, atque amor, & clementia singularis in populum subiectum, praesentem, & futurum; ut pote, qui sapientissime, & clementissime prouidit, deducendoque carissima sua pignora, & iuuentutis principes mature in imperatoriae virtutis curriculum legitimum, & exploratum effecit, ne deesse possint, post fata, vtinam serissima! SERENISSIMAM DOMVM, vnde orti sunt, solidae virtutis laude illustraturi, patriam comparatis peregrinando bonis artibus ornaturi, eius pretia, & decora praecipua, libertatem, & religionis integritatem, conseruaturi,

D 3

gloriam

gloriam auita virtute, & recte factis, piisque institutis partam ita propagatur ad posteros, vt nunquam desiderentur in SERENISSIMA SAXONIAE DVCVM DOMO pii ERNESTI, fortes BERNARDI, sapientes, & magnanimi FRIDERICI, clementes GVILIELMI, constantes IOANNES. Quam spem interim patriae, & posteritati gratulari, & publicis votis, piique officii testificatione prosequi in coetu discentium, ac iactare simul, & celebrare SERENISSIMI PATRIS PATRIAЕ merita in illustri litterarum officina Gothana cur visum sit, aperuit publicata sub expectatissimum SERENISSIMORVM PRINCIPVM reditum tabula, nec tacitus praetermisit, qui clementissime auditus est in ILLVSTRI panegyri orator adolescens. Sed supererat, vt constaret longius, & vulgaretur latius, quid scholasticum hominum genus, litterarum professores, cultoresque, debeant SERENISSIMI PATRIS PATRIAЕ prouidentiae, & SERENISSIMORVM PRINCIPVM peregrinatorum clementiae, frugalitati, liberalitati? quamque gratos, & beneficiorum memores hic se velint praestare. Dudum vere *praedicari publice potuit*, quot FRIDERICI ANI PRINCIPATVS annos numeramus, tot nouis beneficiis auctum esse, & ornatum ILLVSTRE GYMNASIVM GOTHANVM, recreatosque, qui in eo litteras docent, & pietatem. Idem ad se etiam pertinere iure, meritoque credunt, & profitentur, quae rei litterariae Gothanae ex SERENISSIMORVM PRINCIPVM peregrinatione facta fuerit accessio. Perpetua fundi litteratorum calamitas est, si defuerint publicae bibliothecae, & copiosa quasi, & exculta satis sapientiae armamentaria, vnde suppetant ad spartam litterariam ornandam necessaria praesidia; atque haec priuato patrimonio fuerint redimenda. Insigne itaque beneficium est, & nunquam satis laudanda SERENISSIMI PATRIS

PATRIS PATRIAE prouidentia, quod a SERENISSIMIS maioribus inchoatum institutum perficere non definit, ac copiosiorem, plenioramque litterariam supelle&tilem palatinam reddere pergit: nec praedicanda solum; sed valde admiranda est SERENISSIMORVM PRINCIPVM frugalitas, qui inter peregrinandum huius rei habuerunt rationem: qui non ipsi solum cum voluptate spectarunt exterorum bibliothecas, & riora curiosioris litteraturae monumenta; sed studiose id egerunt, vt ne patria iisdem careret diutius, ciuesque litterati ex palatino rei litterariae apparatu frustra requirerent. Quae igitur huic deesse, ex melioris litteraturae aestimatoris, & arbitri sapientissimi, summe reuerendi Cypriani, PROTOSYNE-DRII consiliarii spectatisimi, indicio cognouerunt; & quae maxime reuerendi Huhnii, comitis, & sacrorum in itinere ministri, solertia indagauit: quaeque in Italia, & Galliis reperi potuerunt, aegre vulgo inuenienda opera litteraria notae melioris, redimenda protinus statuerunt, & quantocunque sumtu ante redditum in patriam transferenda, inferendaque, quae inter nobiliores Germaniae bibliothecas dudum exsplendescit, constitutae in arce natali litterariae supelle&tili, vt Gothani litteratores gauderent subsidiis: fruuntur enim PRINCIPALI ista indulgentia discendi cupidi omnes: quae vix in Germania, & in bibliothecis aliis, officinisque litterariis copiosissimis reperiuntur.


Atque adeo, dum tantilla aetate, qua, custodibus remotis parentibus, plerique longe alia se&tantur, iuuenili libidini apta, & corporis sensus oblectantia, gaudent equis, canibusque, & aprici gramine campi: SERENISSIMI PRINCIPES procul etiam a nutu, & intercessione paterna libros amant, se&tantur, mercantur; idque feliciter, & auspicato, quando in Galliis numis chartaceis, vt res aliae, ita doctarum chartarum volumina ingentis pretii, non sine lucro, redimi

dimi poterant: maiore, & illustriore accessione rem litterariam Gothanam augent, quam pluribus retro annis factum est: facile intelligunt ciues litterati, quales principes habitiuri sint? quidque ipsorum itineribus per Belgicos, Britanicosque tractus suscipiendis despondendum, & ab illorum clementia expectandum sit in posterum? Tanto minus, qui Gothae versantur, litterarum studiosi homines taciti tantam felicitatem patriae, & tantam spem posteris gratulari potuerunt. Sicut autem merito

## SERENISSIMI DVCES, PRINCIPES, AC DOMINI CLEMENTISSIMI,

submisse gratias agimus, quod reduces ex itinere non dignati estis atria scholaistica, nec recusastis interesse panegyri, qua publica pro salute VESTRA, & patriae vota facta sunt, & palam pronunciata; nec obscure pronunciantis animo, linguaeque fauere significastis: ita eadem publicantis cum delibata itineris VESTRI historia vt pietatem, & officium clementissime probetis, submississime rogo, quaeisque. Dabam Gotha, CIC 10 CC XXI. KAL.

MARTL



SERMO PANEGYRICVS;

recitatus IX. DECEMBRIS CI 10CC XX.

in auditorio ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI maiore,  
praesentibus

SERENISSIMO PRINCIPE HAE-  
REDITARIO,  
**FRIDERICO,**

ET

*SERENISSIMIS PRINCIPIBVS*  
FRATRIEVS,

GVILIELMO,  
IOANNE AVGUSTO,  
CHRISTIANO GVILIELMO,  
DVCIBVS SAXONIAE,  
IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGRIAЕ, ET WESTPHALIAE,  
LANDGRAVIIS THVRINGIAE, MARCHIONIBVS MISNIÆ.  
COMITIBVS PRINCIPIBVS HENNEBERGAE,  
COMITIBVS MARCAE, ET RAVENSBERGAE,  
DYNASTIS RAVENSTEINII, ET TONNAE,

a  
**CAROLO ALBERTO KESSEL.**

E

SERE-



# SERENISSIMI DVCES, PRINCIPES, AC DOMINI MEI CLEMENTISSIMI,



Oni principis notionem, & formam dudum, & antiquissimis temporibus notam, atque claram fuisse, vel ipsae veterum fabulae loquuntur: nec temere creditur Homericō carmine expressa laus, & nota boni, malique viri, principis, militis. Certe non prorsus illam repugnare moribus seculi nostri, vetustati vt plurimum non minus, quam priscae integritati, & simplicitati infesti; nec principum scholis contrariam esse, aut contemnendum exemplum suppeditare, quando de natis ad humanarum rerum fastigia ad eadem instituendis deliberatio est: apparuit ex summorum Gallicanae iuuentutis principum institutis; in quibus sapienter prouidendis, & recte constituendis curas regias versatas esse constat, MAGNVMQVE LVDOVICVM XIV. Galliarum regem, viros litteratissimos iussisse curare, ne conueniens deesset institutio ad tantam, ad quam nati essent, spem imperii, decusque, filio primum, deinde nepotibus.

E 2

SERE-

SERENISSIMIS DVCIBVS, ANDEGAVENSI, BVRGVNDICO, ET BTVRICENSI. Inter illos dum partes sibi deposcit, quas ornare potuit ingenii, & sapientiae praefidiis, summus ad ultimum antistes Cameracensis, Fenelonius, cum praecipue BVRGVNDICI caussa PRINCIPIS librum sermone vernaculo de boni principis institutis, officiis, & fatis scribere vellet: Homerici herois, Vlyssis filii, Telemachi, nomine inscripsit. Hoc paecto prudentissimus auctor, & callidus aestimator ingenii, destinationisque SVMMI PRINCIPIS, qui posteris suis ex se natis laudati principis notionem, & formam voluit praescribi, quum fatis intelligeret, magnos illum suos potius, quam bonos principes esse velle, noluit imitari Nicolaum Machiauelum, qui talem nobis repraesentauit principem, qualis suus Caesar Borgias erat; sed veras, & solidas artes, laudesque imperatorias, quamuis aucto iudicio, & moribus contrarias, venerandae vetustatis autoritate fecit commendabiles, tanquam a principe poëtarum decantatas, & plurimorum retro seculorum applausu comprobatas. Est autem inter principum virorum ornamenta non ultimum, quod Vlyssi Homerius tribuit, nimirum vidisse populos multos, ac urbes. Nec facile alia ratione nati ad rerum humanarum fastigia rectis de rebus imbuentur iudiciis. Ciues, populares, domestici, & quotquot sunt de grege obnoxio, vera, & recta inculcare imperaturis, & damnare contraria vel non audent, vel non audiuntur. Obstat subinde spes improba, vel metus iacturae gratiae dominicae, vel aliorum assentatio, quod libet, licet inculcantium nascentibus. Quibus rebus hebetatur, quo cunque nomine, & titulo data, praeciendi imperantium filiis autoritas. Inter exterros autem non desunt, qui obtrent regnantium impotentiae, nec verentur principum virorum reprehendere, vel ridere vitiositatem, ubi vana esset, & sine viribus ira, & veri, rectique impatientia. In voculas non

non minus, quam oculos incurunt apud exteris non principes minus, quam cuiuscunque sortis homines, quoties domi non castigata satis licentia erumpit, impellitque ad destinandum, quod a publicis moribus, & recta ratione videatur abhorrere. Inter haec, dum omnis generis hominum vitae cultum, mores, instituta, leges, ritus, consuetudines, linguas nescendi occasio est, prudentiae vix opportunior schola est, quam peregrinatio. Nec rectius iuuentutis principes illam aetatis intercapelinem, quae rerum actui apta nondum satis, & matura censetur, transmittere posse videntur, quam inter mitioris ingenii, cultique moris exteris: quam si per varios casus, & rerum discrimina tenderint, emerferintque ad illam sapientiam, qua mandanda illis olim rei publicae munera tuenda, administranda, & ornanda sunt. Licebit itaque pace vestra, A. O. O. H, temporum nostrorum felicitatem recognoscere, & publice praedicare, quae tantae spei pignore nos carere non est passa, SERENISSIMI FRIDERICI, PATRIS PATRIAE nostri clementissimi, prouidentiam. Licebit gratulari SERENISSIMAE SAXONICORVM ducum domui, quod nondum desit rite praeparata soboles ad sustinendam auitam gloriam, & potentiam, qua illa dudum longe, lateque imperauit. Licebit exultare patriae rebus secundis, & spe exploratissima fortunae melioris, quod diuino munere SERENISSIMAE ERNESTINAE stirpi, & PRINCIPALI familiae FRIDENSTEINIAE non desit propago, quae libens, lubensque ad domesticae virtutis, laudisque decus velit grassari via antiqua, & recta; quamvis molesta, lubrica, & periculosa. Ex hac strenue, fortiter, & patienter in tertium annum calcata, longa videlicet peregrinatione per Germaniam, Italiam, & Gallias, dum SERENISSIMVM PRINCIPEM HAEREDITARIVM, FRIDERICVM, ET SERENISSIMVM FRATREM, GUILIELMVM, dominos nostros clementissimos, recipit saluos, & incolumes

E 3

laeta-

laetabunda patria, gratulabunda vrbs GOTHA, exsultabunda ARX FRIDENSTEINIA: aequum sane, piumque est, accensa publice gaudia, & vota ardescere in his atriis, quae futuri populi sedes, & magistra sunt, & solenni ceremonia, piaque supplicatione dedicari. Quod pium officium dum imponi mihi passus, aususque sum, coram illustri hac panegyri de antiqua PRINCIPALIS IVVENTVTIS ad virtutem, & sapientiam via publice dicere, & reducibus ex illa SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, DOMINIS meis clementissimis, gratias agere profuscepta eius molestia, gratularique patriae de receptis ex illa saluis, & in columibus desideratissimis suae spei pignoribus, & salutis publicae praefidiis: omnis ordinis auditores rogo, quaesoque, vt faueant conatibus meis, suaque gratia ita intercedant, subleuentque infirmitatem meam, vt, quod temere suscepisse videar, non timide prorsus sit peragendum. Peregrinando disci artes imperatorias, nec patriae glebae adscriptos, inherentesque aptos, & habiles fieri ad regendum imperio populos, visum est antiquis, creditumque omni tempore a nationibus omnibus, cultu humano, ciuique ordine florentioribus: nec dubitant, quibus retro datum est circumspicere facta, moresque mortalium, & litterata omnis aeui, omnisque generis peruestigare monumenta. In vetustissimis fabulis iidem heroes, & magni peregrinatores sunt. Multiplex Hercules: quo nomine plures gentes suos conditores, & primos rectores appellant: Hebraeorum, & Phaenicum lingua Harochel dictus; vnde facile Harcol, & Hercules deriuari potuit: aperuit ipso nomine, quam versari oportuerit in peregrinationibus, & quam non dissimilis fuerit ei, qui a Poëta celebratur, impiger extremos currens mercator ad Indos, per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes. Tam longae excursionis vestigia, a Bacho calcatá in Indiae aditu, deprehendit Alexander Magnus. At vero

ex

ex vetustate tam obscura, & incerta arcessere exempla parati, gubernatique imperii a peregrinantibus, non est necesse; lucent clariora, & extantiora in vera, diuinaque historia. Exsul patriarcha, Ioseph, rexit AEgyptum: exsul Moses correxit populum DEI: exsul Daniel erexit sua virtute, & consiliis Persarum potentiam, cum caderet Babyloniorum principum autoritas, sacrilegis ausis impulsa, & profligata. Non in caula Iacobi patriarchae, non in paternae indulgentiae finu, complexuque didicisset Ioseph regia tractare negotia: etiamsi a fratribus secretus fuisset veste melioris notae. Incensum ideo fratum odium exsulem, exfilii iniuriae variae regis, & regni curatorem, ac patris, fratumque nutritorem effecerunt. Nec in Pharaonis aula Moses, quamuis filii nomine, & honore, adoleuisset ad illam artem, autoritatemque imperatoriam, qua constituere, & regere potuit in tanto populo rempublicam. Exsul, & peregrinando per Arabiam inuenit idoneum ciuilis ordinis autorem, & magistrum, sacerum Iethroneum, cuius consilia, & instituta forensia, cum hospitalis comitatis testificandae caufsa commendasset, laborantibus & genero, & populo profuerunt, formandoque statui publico visa sunt necessaria. Nec in pacata patria Daniel tantam ciuilis sapientiae admirationem, & factorum, fatrumque celebritatem esset consecutus, quantam exsilio illi conciliauit, & peregrinatio. Haec memorabile aperuit curriculum, in quo adolescentis spectari potuit frugalitas, viri explorari fides, atque ita confirmari autoritas, vt frustra oppugnaretur ab inimicis, & Daniel perpetuus summorum principum esset consiliarius, magnaue conuersionis, qua ex Assyriaca monarchia Persica facta est, non internuncius modo, & diuini digitи interpres; sed pene arbiter, certe minister. Antiquam autem istam, & heroum, patriarcharumque exemplis illustratam, ciuilis prudentiae comparandae ratio-

rationem non abhorrere a temporibus sequentibus: non contrariam esse caeterarum nationum indoli: nec repugnare moribus Germanorum, consuetudini Saxonum, institutis SERENISSIMAE STIRPIS ERNESTINAE, ET DOMVS FRIDENSTEINIAE, facile agnoscent, quibus obuia esse potest prisci recentiorisquae aeui memoria. Peregrinando, & excurrendo ad AEgyptios, Iudeos, Chaldaeos sapere dicerunt ipsi, qui celebrati sunt ab aliis gentibus, & plurium seculorum posteris sapientiae magistri, Graecorum sophi, philosophique. Certe *ἀνθρώποις*, & tirociniorum litterariorum rudis perstitisset gens illa curiosa, quae temere, & vane non sapientiae modo; sed & generis humani autor vult censeri: nisi peregre, vel a Phoeniciis, vel ipsis Hebraeis prima petiisset litterarum elementa, & ipsa nomina, quae Grammaticorum doctissimi quique nec intellexerunt, nec interpretari ausi sunt umquam. Certe ex peregrina schola, ipsis qui fontibus Israelis primae Romanorum religionis auctorem, Numam Pompilium, Pythagoreum: cuius sectae princeps Iudeos salutasse creditur: nomen, & cultum Iouae Iouis nomine petisse, & incondito Romanorum tradidisse populo, probabile facit, quod Varro, ciuitatis DEI scriptore, Augustino, teste, de primis religiosis illius gentis institutis scriptum reliquit, videlicet reperta ista studiose fuisse occulta, ne simplicitate eorum offenderetur posteritas, nimirum a prisca integritate cultus religiosi detorta tractu temporis, & implicita superstitioni gentium deuictarum: quae unius Iouae colendi rationem simplicem, seriam, sanctamque, a Numa traditam, facile dignata fuisset prae inualescente tractu temporis ambitious illa, & ludicra, licentiaeque plena impietate, qua ficta, & vano diuinitatis nomine donata simulacra colenda fuerunt. Adeo prisca Romanorum gens non minus, quam caeterae florentissimae respublicae, Punica

nica, & Laconica praecipue: quas praeter ipsarum professio-  
nem satis produnt Phoenicia nomina, ritusque: peregrinam  
habuerunt, si non originem, saltem instituta; &, qui eas pri-  
mi vel condiderunt, vel rexerunt, insignes fuerunt pere-  
grinatores, vel a talibus acceperunt leges, & praescriptam  
ciuilis cultus, & ordinis formam. Nec populares nostros,  
Germanos priscos, abhorruisse a peregrinationibus, nec de-  
dignatos isto pacto reipublicae consulere, satis constat: certe  
cum reliquis Septentrio[n]is nationibus: inter quas plures na-  
scuntur, quam natale solum potest alere; quod maxime ante  
sublatam multiplicandi connubia licentiam oportuit contin-  
gere: subinde effusa esse copiosa eorum agmina in terras  
sol[is] beatioris, veteresque migrare iussisse colonos, nullum  
est dubium; quamquam, vt nunc in orientalibus, & austra-  
libus orbis terrarum partibus Europae nationes omnes  
Franci adpellantur, Gallorum, vel Galatarum, & Celtarum  
nominibus Germani in peregrinis locis claruerunt. Certe,  
quos Paulus in Asia docuit, & qui cum Brenno duce Grae-  
corum terras, coloniasque inuaserunt, oppresseruntque: nec  
non, qui Alexandrini exercitus robur constituisse creduntur,  
Galli decantati in veterum monumentis, ex Germaniae po-  
tius visceribus, quam ab hodiernis Gallorum finibus, veni-  
se, locorum, virtutis, & potentiae ratio arguere videtur. In-  
ter hos quam cupide, & feliciter peregrinati sint Saxones:  
clarissimae huius gentis per magnam Britanniam nomina ad-  
huc declarant? Vetustissimam sane illam religionis, sapientiae  
& elegantiae sedem gens fortissima tempestiue occupauit,  
gubernauit, illustrauitque. Nec temere hodie, ex quo regio-  
nis opportunitate, beatoque otio victa vis, virtusque colo-  
norum torpere visa est, ab eadem gente nouis suppetiis re-  
creatur, excitatur, & confirmatur, vt M. Britannia vniuer-  
sae Europae libertatis, & Christianae religionis praesidium  
esse

F

esse possit, & propugnaculum , rectius, & glorioius adhuc defensa a vero peregrino Georgio, & legitimo priscae Saxonum gloriae vindice, quam a domestico, personato, & subornato sanctulo Georgio, vano umbraticeae defensionis nomine turbata, & impugnata; ac perfidorum ciuium consiliis prodata , & pene perdita. Ex illis ipsis Saxonis coloniis Britanicis priscis , an ex media Germania profecti fuerint, qui Constantini Magni militiam sunt secuti , Saxones, non satis constat; magis autem, tam clarae summo principi visos originis, tam spectatae virtutis, vt facile ad praefectureras admiserit militares, suisque praetulerit popularibus: quamquam imperatoriae matris, Helenae, origini tributum aliquid videri possit, quam ex illa gente de legit, cum armis Romanis ob sideret Britanniam, pater Constantius; nisi aliunde satis constaret, quo peregrinati fuerint Saxones, virtutis opinionem, & celebritatem esse consecutam. Neque est dubium, clarissima huius gentis nomina, & facta fuisse, quotiescumque vel suo nomine, vel inter aliarum bellicosarum nationum auxilia militarunt, atque Gothorum, Normannorum, Vandalorum, Lombardorum, exteror<sup>s</sup> oppugnantium, fuerunt accessio, ipsumque Hunnorum tyrannum, Attilam, sunt secuti, cum transeunti Germaniam, properantique ad exteror<sup>s</sup> soli beatioris, opus esset supplementis. Nec Romanorum, Francorumque potentiae fortius, & constantius vlla Germanorum natio refragata est, quam Saxonica; nec Romani nominis, & imperii gloriam, ex quo penes Saxones esse coepit, asseruit felicius, & glorioius. Ita, cum Saxonica arma peregrinando in Italia triumpharent, & orbis terrarum admirationem in se conuerterent: ipsi aulae Constantinopolitanae gentis Saxonicae virtus, & gloria digna visa est, quam summo, quo posset, munere, & honore prosequeretur, concedenda videlicet imperanti sponsa imperatoria

toriae originis, & dignitatis. Nec Witikindeae stirpis propago, SERENISSIMA SAXONICORVM DVCVM domus hodier na, minus claruit peregrinando, virtute splendendo, & patrando fortia facta inter exterros. Inter hos tam gloriose, & feliciter versatus est Albertus, Saxonici electoris, ERNESTI, frater, tantoque cum successu arma victoria circumtulit, vt non tam temere, quam confidenter dixerit, se totum orbem terrarum cum dato sibi decem legionum exercitu peragratuui esse. ERNESTINAE stirpis SERENISSIMAE heroum, virtute, & meritis inter exterros spectatorum, recen tior, & copiosior memoria est, quam vt necesse sit, & possit ex hoc loco, & coram illustri hac panegyri repraesentari. Bernardorum, & Guilielmorum, qui inter exterros strenue agentes, & pulchriora destinantes, in ipso praeclaro opere extincti sunt, illustria facta, & gloria fata loquentur annales. Mihi cum potissimum propositum fuisset ostendere, qua ratione heroum filii instituantur ad agendum recte, digneque suis natalibus, & quemadmodum discere oporteat inter exterros bene mereri de ciuibus, exteris, posteris: satis erit immorari contemplandae, & celebranda laudatissimae SERENISSIMAE domus ERNESTINAE, FRIDENSTEINIAEque consuetudini, qua patriae, suisque consuluit, quos voluit de republica, & posteris bene aliquando mereri. Solenne illi dudum fuit, non domi solum religiose, & prouidentissime instituere suos ad sustinendam tantorum natalium dignitatem, & explendam olim spem, ad quam sunt geniti; sed, quia non omnis fert omnia tellus, nec vna patria sufficere potest omnes idoneos auctores, & duces ad artes, virtutesque imperatorias: nec vna aula habere potest, quibus imperantibue opus est, omnis virtutis, artis, & scientiae magistros: tempestiue dimittere iuuentutis principes ad exterros, nationesque ingenii mitioris, & cultioris; atque curatissime

tissime prouidere, vt iuuentutis principes citra boni moris  
offensionem praeter idonea bonarum artium, linguarum,  
elegantiaeque externae magisteria, rectis de rebus omnibus,  
sacris, ciuilibus, militaribus, domesticis, rusticis, imbuantur  
iudiciis, ac tantisper extra perpetuum PRINCIPALIS IV-  
VENTVTIS malum, adulatio[n]em, verum, rectumque de  
suis ipsorum ingeniis, & moribus possint audire ab exteris:  
inter quos non facile desunt, qui linguam soluunt dicacem,  
dum principes palam soluunt mores, & nudant ingenia; au-  
dentque reprehendere, quod, quibus obnoxii non sunt, non  
verentur facere, vel dicere, si quid a recta ratione, & com-  
muni hominum sensu abhorrende, vel bonis moribus con-  
trarium esse vere potuerit argui. Ideo non alienum visum  
est a rectae, & emendatae institutionis lege SERENISSI-  
MORVM IVVENTVTIS PRINCIPVM PROAVO,  
BEATISSIMO ERNESTO, quanto recti, religiosique moris  
autori, & praeceptor? numerosam sobolem suam mittere in  
hanc principum scholam, peregrinationem prudenter insti-  
tutam, & pie religioseque custoditam. Satius credidit PIVS  
PRINCEPS, isto pacto simul satiari iuvenilem visendi pere-  
grina loca, populosque cupiditatem, quam differri ad aeta-  
tem prouectiorem, & incendi intempestiue, quando non  
sine periculo reipublicae, & principum potest expleri; & cu-  
stode remoto destinare licet, & perficere, quod libet. Ete-  
nim quid non mortalia pectora cogit, vt priuatorum auri,  
ita principum regni sacra fames, & improba cupiditas alieni  
soli non visendi solum; sed inuadendi:&, si opes praefto fue-  
rint, armis, virisque vrgendi, & occupandi. qua qui solicitan-  
tur, perdere se, populumque, quam hunc regere pacate ma-  
lunt. Qui sane consultius primos aetatis annos in alienis  
regnis peregrinando consumerent, quam peregrinantur, ac  
exulant a suis, & latrocinantur in alienis, dum suae ditio-  
nis

nis populo interesset, & summae rei praeesse aequum, piumque, &c, ad salutem publicam necesse erat. Isto pacto dum pius PRINCIPES consulit suis, & bonos principes ex peregrinantibus mature filiis efficere voluit, bonos etiam ministros effici posse credit, itineris videlicet comites, eodem impendio ad reipublicae munera, & honorata ministeria praeparandos, quo principes ad clavum apti, habilesque redduntur. Hac ratione qui facti sunt boni ministri, & sacrorum, ciuiliumque munerum commodi procuratores, eorum merita extantiora sunt, quam ut memorari necesse sit; vel ipsi, posterique velint. Recte aucto instituto inhaerent SERENISSIMI POSTERI, quorum prouidentia laudatissima SERENISSIMVS PATRIAE PATER cum fratre SERENISSIMO plures cultioris Europae partes peragrauit, veditque alienos populos, antequam ille accederet ad regendum populum suum, hic, nimirum post fata factis, & virtute memorabilis frater, ad arma, pro communi libertate gloriose circumferenda, ut ubi vinceret, prius eo veniret, videretque cum variis gentibus loca, heroicis ausis emetienda, & illustranda. Apertum itaque dudum, & auita pietate, & sapientia munitum, calcatumque virtutum, laudumque heroicarum curriculum visum est SERENISSIMO PATRIAE PATRI, demonstrare SERENISSIMIS FILIIS, quam primum aetas fineret, ingrediendum, calcandumque ad praescriptum cum viris cordatis, & vere, impenseque sollicitis de SERENISSIMAE DOMVS FRIDENSTEINIAE, patriaeque salute, diligentissime deliberatum. Dum enim singulari Dei T. O. M. huic patriae, & SERENISSINAE stirpi ERNESTIMAE propitii munere SERENISSIMO PATRIAE PATRI contigit soboles copiosior, quam ulli sui ordinis procerum sacri Romani imperii, vel ulli Europae principum, non temere delibératur de ea recte instituenda, nec pars ultima est curarum PRIN-

CIPALIVM, & senatoriarum, prouidere, vt recte constituta sit FRIDENSTEINIA heroum schola, & probe custoditum ILLVSTRE seminarium vindicum publicae salutis, libertatis, & veritatis Christianae: qui patriae temporibus adesse, periculis intercedere, SERENISSIMAEQUE DOMVS SAXONICAE incolumentem tueri, ac sui animi, ingeniique lumen, nec non dignitatis, quam nascendo consecuti sunt, aciem, & autoritatem possint ostendere. Etenim nati ad res, spesque tantas, ad publicae salutis tutelam, & praesidium, quemadmodum religiose, & prouidentissime institui, custodiri, & perfici conueniat, non difficulter intellegitur. Ex hoc autem heroum seminario sapientissimo SERENISSIMI PATRIAE PATRIS consilio mature dimituntur ad exterros duo SERENISSIMI filii natu maximi, SERENISSIMVS PRINCEPS HAEREDITARIVS, FRIDERICVS, ET SERENISSIMVS FRATER, GVILIELMVS, imbuti tirociniis ingenii, & ordini suo conuentibus, & praeparati satis ad peregrinationem cum fructu obeundam, & captanda passim opportuna rerum discendarum magisteria, speculandaque obuia quaeque, ingenia hominum, principum, priuatorum, actum rerum, contextum negotiorum, commerciorumque humanorum omnium, vt tempestive reduces SERENISSIMIS FRATRIBVS reliquis, indole, & laudabilibus conatibus florentissimis, parta peregrinatione ornamenta, exultaque mentis, morisque praefidia ostendere possint in exemplum, & ipsi casibus variis, discriminibusque eruditri internuncii opportuni, autoresque existere rerum serio agendarum, atque hoc pacto accende-re, & confirmare aemulam rectiorum studiorum industriam. Et profecto, diuina prouidentia ita adgubernante, incidit SERENISSIMORVM PRINCIPVM iter, & excursio ad exterros in tempora tam aspera, publicisque calamitatibus,

&amp;

& rerum angustiis, indomita superiorum temporum vitiostitate contractis, adeo laborantia, & parturientia maximam rerum conuersionem, vt occurrere oportuerit, & ubiuis offerri seria pro nugis, recta pro prauis, vera, & solida pro vanis, apud illos etiam exteros, qui, cum florarent rerum successibus, in vanitatem, nequitiam, & licentiam effusi, elegantiae, & prudentiae ciuilis nomiñe malos mores docuerunt, & principum filios corruptiores, quam ornatiores, a se dimiserunt. Pigere eos, publicis malis omnis generis oppressos, corruptelarum doctrinae, morumque, & de remedii legitimis, verbi diuini maxime vsu vulgari, solicitos esse, non perfunctorie probant agitata palam certamina, & cum successu oppugnata, & proscripta, istas corruptelas incrustantia, placita summae autoritatis. Inter quos cordatos veri, re&tique assertores qui versantur peregrinatores, inspectantque coram damna publica pristinae licentiae, & nequitiae, minus corrumpentur, quam si dissimulata, vel male sanata labe publica continuaretur sine interpellatione vanitatis disciplina. Hac non impeditis SERENISSIMIS PRINCIPIBVS dum SERENISSIMVS, & potentissimus Galliarum PROREX seuerissimis interdictis ludendi inhibuit licentiam, & ludiones criminum reis similes palam pronunciauit, quantum tempus re&tis studiis impendendum superfuit in antiqua illa sede, & magistra bonarum artium, in tanto concursu, & frequentia hominum eruditissimorum, & excitatis horum, pronisque studiis, & officiis erga SERENISSIMAM DOMVM SAXONIAE DVCVM FRIDENSTEINIAM, erga PII ERNESTI PRONEPOTES, FRIDERICI MAGNANIMI NEPOTES, FRIDERICI CLEMENTIS, ET FELICIS FILIOS: quibus seruire, & ad rectiora studia adminiculo esse, horum studiosis summa fuit voluptas. Cuius notae viri salutandi, & consuetudine deuinciendi Romae, & cuius generis negotia in Italia tractanda visa fuerint SERENISSI-

NISSIMIS PRINCIPIBVS nostris, litteratissimi viri Romae tunc typis exscriptus liber, & missi ex Italia magni pretii codices, studiose inuestigati, & diligentissime selecti, & conquisiti satis testantur. Cuius rei rationem cum toto habarent itinere, & insignem apparatus operum litterariorum, in his terris numquam visum, nec quantocunque pretio comparandum, praemitterent, remque litterariam Gothanam mirifice illustrarent, & amplificarent: exakte responderunt piae SERENISSIMI PATRIAEC PATRIS prouidentiae, qui pro patria, & republica SERENISSIMOS FILIOS ad exterros dimiserat; atque ostenderunt, se non peregrinari pro sua libidine, & voluptate, & vanis oculorum, & aurium oblectamentis, quae pereunt, & euaneant, dum capiuntur, intentos oberrare; sed versando in Italia, & Galliis studere patriae, ornare rempublicam, augere rem litterariam conferendis monumentis ad posteritatis memoriam, & usum duraturis. Quid hac in parte debeamus SERENISSIMO RVM PRINCIPVM administris generosis, maxime reuerendo, & nobilissimis itineris ducibus, comitibusque, non praeterirem tacitus; sed particulatim operam, & studium commemorarem, quod in toto itinere, pro commodis Gothanae reipublicae, & litterariae fideliter excubauit, nisi venerandorum virorum obstaret modestia: qui patientur potius, me properare ad pium, quod super est, officium, pro concessis diuino munere laetis itineris auspiciis, expeditis aduersus obstantes difficultates omnes successibus, exituque felici, & fortunato perfungendum. Debentur gratiae Deo T.O. M. quod immisit hanc mentem SERENISSIMO PATRIAEC PATRI, & SERENISSIMAE PATRIAEC MATRI, vt pro patriae salute carissima sua pignora in tam longi itineris pericula voluerint coniicere: SERENISSIMIS PRINCIPIBVS tribuit animum sustinendis itineris molestiis parem: administris

nistris inspirauit fidem & industriam , custodiendis pignoribus tam caris sibi commissis necessariam. Debentur gratiae eidem propitio patriae Numini , quod publica vota omnibus patriae templis religiose in annum tertium continuata , clementissime audire , & felicia , fausta & fortunata esse , suscepti itineris auspicia , progressum & finem, iubere voluerit. Debentur gratiae SERENISSIMIS PARENTIBVS, quod tantisper desideratisimis liberis carere, sumtusque itineris liberalissime suppeditare voluerint. Debentur gratiae SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, quod pro patria , & nostris commodis suscepti itineris molestias tam diu sustinere, & tam patienter perferre voluerint. Debentur gratiae fidelissimis administris, quod & ipsi pro principibus , & patria tam diu exsulare a laribus suis, & periclitari inter exterros, patique voluerint, vt suarum interim familiarum carissima pignora tamdiu, quasi deserta, & derelicta laborarent, & angerentur. Quas gratias dum, qua possumus, pietate publice agimus, aequum, piisque esset, easdem referre, & pro tantis beneficiis, officiisq; gratos nos praebere. Quod dum non est in viribus nostris, circumspicendum erit, ne reperiamur ingrati. Effugiemus turpem hanc infamiae notam, si diuinis beneficiis non abutamur: si rectis studiis, sanctis moribus & piis factis dignos iis non reddamus: si nuncupandis asidue religiosis votis, & curatisimis precationibus impetrabimus, vt placatum Numen tribuat muneris suo perpetuitatem: vt seruet patriae tutelam, & praesidium desideratisimum, SERENISSIMAM SAXONIAE DVCVM DOMVM: iubeat florere SERENISSIMAE DOMVS FRIDENSTEINIAE pignora vtriusque sexus carissima: tribuat SERENISSIMO PRINCIPI HAEREDITARIO, SERENISSIMISque FRATRIBVS adultis animum, propositumque constans nitendi ad omne principalis laudis, virtutisque decus, & pergendi, qua coeperunt

G

runt

runt, via sine offensione, & interpellatione decurrentia: reliquis ad eandem crescendi, & adolescendi copiam imperiat: confirmet ministrorum fidem, remuneretur industria, ornetque opportunitatibus lautissimis pro toleratis longi itineris fastidiis, laboribus, periculisque. Haec piorum ciuium, collegarum, & alumnorum illustris Gymnasii pro eius clementissimo nutritore, SERENISSIMO PATRIAE PATRE, pro SERENISSIMA PATRIÆ MATRE, pro SERENISSIMO PRINCIPE HÆREDITARIO, SERENISSIMISQUE eius FRATRIBVS, & SORORIBVS, fidelissimisque ministris, vota sunt. Quae cum publice nuncupanda essent ex hoc loco, vel hoc nomine A. O. O.

Honoratisimi, quod gratia vestra non destituistis  
meam in dicendo infantiam, gratias ago,  
quam submississime.



TABV.

S. Jo( sc.)

---

51

# TABVLAE PII OFFICII PRAE- NVNCIAE.

---

**A**ntiqua dignae PRINCIPVM filiis  
sapientiae, virtutisque via,  
& curriculum artium iimperatoriarum exploratum  
exilium e patria  
tempestiuum, deliberatum, & bene prouisum,  
cauta, doctaque peregrinatio,  
vt emensis per annum tertium  
magnam Germaniae partem,  
Italiam, & Gallias vniuersas

*SERENISSIMI PATRIS PATRIAE,*

**F R I D E R I C I ,**  
**DVCIS SAXONIAE,**  
**IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,**  
**ANGRIAЕ, ET WESTPHALIAЕ,**  
**LANDGRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE,**  
COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGAE,  
COMITIS MARCAE, ET RAVENSBERGAE,  
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ET TONNAE,

*DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,*

FILIIS NATV MAXIMIS,  
*SERENISSIMO PRINCIPI HAEREDITARIO,*

**FRIDERICO,**  
**ET SERENISSIMO PRINCIPI FRATRI,**  
**GVILIELMO,**

## TABVLA

non minus , quam patriae , & posteris ,  
 rei publicae , CHRISTIANÆ , & litterariae ,  
 felix , fausta , & fortunata contingat ,  
 inter publicos applausus , & voces precantes ,  
 quibus reduces SERENISSIMI PRINCIPES excipiuntur ,  
 vota sunt , & omina laeta

piorum ciuium , exterorum , propinquorum , seruorum ,  
 quibus prosequuntur SERENISSIMOS PARENTES ,  
 recipientes ut cupidissime , ita auspicatissime  
 desideratissima pignora :

gratulantur SERENISSIMAE DOMVI SAXONICAE  
 restituta ornamenta praecipua sarta , tectaque ,  
 redditos saluos , & incolumes ex variis casibus , discriminibusque  
 PRINCIPES magnae laudis , maioris virtutis , spei maximae .

Veneranda certe est SERENISSIMI PATRIS PATRIAE  
 prouidentia auspicatissima , & exoptatissima ,  
 quibus publica salus cordi est ,  
 quibus prouisa est communis incolumentis ratio vera , & solida ,  
 quotquot consci , & aestimatores legitimi esse possunt  
 suae , publicaeque felicitatis ,  
 quod regere IPSE populum non modo praesentem  
 pie , caute , & fideliter satagat ;  
 sed dare post sua fata , vtinam serissima !  
 qui populum futurum pacto eodem  
 regant , recreent , ornent .

Admiranda est summa solertia ,  
 qua ad hanc spem geniti instituuntur ,  
 atque ad eandem olim implendam omnibus ornantur praefidiis ,  
 mature in legitimum artis imperatoriae curriculum  
 deducuntur , prouehunturque tempestiuie  
 ad dignum nascendi fastigio mentis , morisque decus ,  
 ad rerum gloriose olim agendarum usum , cultum , & habitum .  
 Suspicienda est insignis pietas , & clementia

FRIDERICIANA ,  
 qua curatur solicite , & impense ,

det

det DEVS T. O. M. feliciter! dabitque, si meruerimus,  
 vt posteris contingat non aliis *FRIDERICVS*,  
 sed sicut ditionis, ita virtutis paternae, & auitae  
 haeres ex asse, & aemulus felicissimus:  
 vt olim succedat *FRIDERICO PIO, SAPIENTI, FELICI*  
 prorsus similis princeps  
 nomine, virtute, factis, successibus.

Amplectendum, & ad posteritatis memoriam extollendum  
 laudibus

*SERENISSIMI PATRIAE PATRIS*

studium in ciues inusitatum, & affectus singularis,  
 qui non passus est, parcere sumtibus,  
 quae poscunt itinera inter cultiores nationes obeunda,  
 & peregrina magisteria externi cultus, moris, sermonis:  
 qui effecit, vt maluerit dimittere  
 ex finu, complexuque indulgentiae paternae, & maternae  
 tam cara capita, tam optata SERENISSIMAE DOMVS praefidia,  
 tam dulcia regiae sedis, & PRINCIPALIS aulae decora,  
 atque carere tantisper fessi curis PRINCIPALIBVS animi reficiendi  
 materia perpetua,

familiaribus, & legitimis oculorum oblectamentis,  
 praesente integra sobole, & enitente ad laudem, decusque maiorum  
 accensis aemula pietate studiis, certaminibusque,  
 quam non prouidere, ne careat respublica praefidio,  
 & ne posteri sero desiderent, frustraque requirant  
 piis, bonisque maioribus similes successores:

qui, vt perpetuo in tuto esset patria,  
 non intercessit, quo minus periclitarentur aliquandiu

*IVVENTVTIS PRINCIPES,*

iactarenturque aetate adhuc lubrica  
 solennibus variorum locorum, & temporum  
 casibus, discriminibusque variis,  
 atque per haec tenderent strenue ad usum, & experimenta matura  
 tractandae olim artis imperatoriae,  
 & ostendenda virtutis, decorisque PRINCIPALIS.

Adeo ILLVSTRE, & indubitatum singularis in ciues pietatis,  
curae pro republica, solicitudinis de posteritate  
documentum fuit,

quod *SERENISSIMVS PATRIAE PATER*  
*SERENISSIMOS FILIOS SVOS* voluit peregrinari.

Affuit mite, & propiti m

*SERENISSIMAE DOMVI FRIEDENSTEINIAE* numen:  
non defuere salutaris consilii fideles administri,

opportuni itineris, & demigrationis duces, & comites:

nec procul abest peregrinationis successus, & fructus exoptatus.

Ingressi SERENISSIMI PRINCIPES iter

ante biennium, & quod exurrit;

progressi per loca referta spectaculis rerum maximarum,  
& maxime memorabilium,

non ciuilium modo negotiorum, & commerciorum;  
sed & rei religiosae, intestinis certaminibus mire conuulsae,  
laborantisque offensione insanabili:

egrediuntur hodie feliciter;

ingrediunturque auspicatissime dulcissimas sedes patrias,  
paternaeditonis vrbem regiam,

*SERENISSIMAEQVE FAMILIAE* illustre domicilium,  
ARCEM IRENOPETRAEAM.

Vix dici potest, quantis desiderius expetiti sint absentes,  
quanto ciuium, exterorumque concursu  
expectati sint aduentantes?

quanto pietatis apparatu excepti reduces,  
quanto scriptorum, nuncupatorumque votorum cumulo  
honorati praesentes?

quam impensa gratulatione, & laetitiae testificatione prosequantur,  
boni quique, patriae vere studiosi,

publicae salutis aestimatores legitimi, fautoresque genuini

*PRINCIPALIS SOBOLIS REDVCIS*

incolumitatem, aetatis, & virtutis accessionem,  
exculti laborioso itinere ingenii, moris, sermonis noua ornamenta,  
necessaria olim imperatoria artis robora, & praefidia?

quam

quam delectentur fama virtutis, & celebritate laudis,  
peruagata, quacunque SERENISSIMI PRINCIPES peregrinati sunt:  
qui sane splendore indolis, morisque suae dignitati conuenientis,  
quas Iustrarunt terras, illustrasse vere dici possunt.

Nec conticuit admiratio externa :

  quam venerentur exteri  
  tam spectatae dotis, & laudis PRINCIPVM PARENTEM,

## SERENISSIMVM PATRIA E PATREM?

quam colant, qui peregrinationis rite prouidenda curam habuit,  
doctioresque passim litteratores scriptis subinde litteris compellauit,

*SVMME REVERENDVM CYPRIANVM,*

quam delectentur patriae nostrae pretiis, hac occasione  
  cum illis communicatis,

apparuit ex vulgata Romae de ea re scriptione,  
  non ita pridem in publica tabula memorata.

Litteratores denique, quotquot in patria reperiuntur,  
bonis litteris fauentes impensis, intentique curatius, & curiosius  
  amplificando rei litterariae apparatu,  
  impense gaudere oportet fructu, & effectu  
excursionis SERENISSIMORVM PRINCIPVM ad exterros.

Collatus, cumulatusque litteratus apparatus  
*Gerbardinus, Pfugianus, Fergianus, Feustkingianus, Thumshirnianus,*

  & quicquid operum litterariorum,

  summorum litteratorum Gothanorum,

*Seckendorffiorum, Pfugiorum, Pfannerorum, Prüschenckiorum,*  
  *Ludolphorum, Breithauptorum, Tentzeliorum*

  curiositas, consilium, autoritas

congerendum, & vnde cunque ERNESTINA, & FRIDERICIANA  
  liberalitate arcessendum curauerat,

spectabilem reddebat bibliothecam Palatinam Fridensteiniam,  
  vt plerisque Germaniae bibliothecis non videretur inferior.

Altius eadem nunc extollit caput, locupletata  
ex SERENISSIMORVM PRINCIPVM itinere, & peregrinatione,  
  acceptione luculenta, pretiosa, rara.

Bonum


Bonum factum,  
 quod tunc *SVMME REVERENDVS CYPRIANVS*  
 palatinae bibliothecae praefuit,  
 & PRINCIPALIS itineris opportunitate vti potuit  
 ad ornandam , amplificandamque rem litterariam Gothanam:  
 quod interfuit PRINCIPALI peregrinationi  
*MAXIME REVERENDVS HVHNIUS,*  
 vt olim hic , ita inter exteris solertissimus inuestigator  
 riorum, cariorumque operum litterariorum.  
**Quorum virorum conjuncta industria, cura, studio**  
 factum est , fietque in posterum ,  
 vt pauciora litteratae vetustatis monumenta ,  
 & rectiorum studiorum praesidia requiramus aliunde.  
 Intelligi hinc , credo, potest ,  
 quas cauſſas habeat scholasticum hominum genus ,  
**ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI**  
 magistri, & alumni ,  
 interſtreendi publicis plausibus ,  
 quibus reduces SERENISSIMI PRINCIPES  
 ex itinere tam fructuoso ,  
 tam litteratiae, & scholasticae rei opportuno  
 certatim honestantur ?  
 ac quam pium, & horum officio conueniens sit ,  
 coram panegyri ſolenni  
 religiosa supplicatione testari ,  
 quid eo nomine **SERENISSIMI PATRIS PATRIAE**  
 prouidentiae , & clementiae debeant ?  
 Deposit pii huius officii partes  
 Gothanus patricius adolescens ,  
 supremi ordinis CLASSIS SELECTAE alumnus ,  
**CAROLVS ALBERTVS KESSEL,**  
 & ad dicendum fe praeparat  
 de ſalutari patriae PRINCIPVM iuuentutis peregrinatione ,  
 & antiqua sapientiae, & virtutis PRINCIPIBVS  
 dignae via.

Qui,

Qui, quando audiendus,  
& ad edendum pietatis, officiique specimen  
admittendus videatur,  
ut clementissime imperetur,  
submississime rogat,  
suum interim, & collegarum pium, debitumque  
officium testatus

ILLVSTRIS GYMNASII  
RECTOR,  
**GOTHOFREDVS VOCKERODT.**

P. P. ipso aduentus SERENISSIMORVM PRINCIPVM dic,  
XXIX. NOVEMB. CIO 10CC XX,



H

Der

Der  
von GOTt erhaltene,  
und mit frölicher VViederkunfft gesegnete  
**Fürsten - Gang.**

Vor gehaltener Rede.

Tutti. *Psal. XVII. v. 5. 8.*

**E**Rhalte meinen Gang auf deinen  
Fusssteigen, dass meine Tritte nicht  
gleiten: behüte mich, wie einen  
Aug-Apffel im Auge.

Recit.

*Der Seuffzer Lauff  
Drang so vor mehr als zweyen Jahren  
Zu GOT'I hinauf:  
Danach des vveisen FRIEDRICH'S Rath  
Zvvey Fürsten im Begriffe vvaren,  
Die an den Seltenheiten  
Alciden gleich mit frühen Wundern streiten,  
Aus dieser Stadt  
Sich fremden Landern zu vertrauen,  
Vnd des Europens Kern und Brust zu schauen.*

ARIA.

## ARIA.

Da prangt mit tausend Anmuths-Strahlen  
Die Kunst der schön geschaffnen Welt:  
Trajans und Hadrians Portalen,  
Versailles Pracht- und Wunder-Zelt;  
Da können Herz und Augen weiden  
Des Alterthumes Kostbarkeiten.

Da Capo.

## Recit.

*Das bringet die Vortrefflichkeit  
Von hochgepriesnen Fürsten-Gaben  
Zu der Vollkommenheit;  
Weil sie zu dem kan Anlass haben,  
Was sie unsterblich macht;  
Durch so verschiedner Voelcker Kraft:  
In Sprachen- Amts- und Rechts- Gebühren;  
Im Staat das Ruder vvohl zu führen;  
Doch muss man da viel wagen,  
Oft Gut und Leben in die Schanze schlagen.  
Drum muste vieles Flehen  
Zu GOT'T geschehen:  
Er vvolte selbst den Gang der theuren Printzen leiten,  
Dass ihre Tritte niemals gleiten;  
Sie moechten doch in seinem Gnaden- Schein  
VVie ein Aug- Apffel seyn.*

H 2

Tutt.

Tutti. Sap. III. v. 9.

Er hat ein Aufsehen auf seine Auserwählten.

Recit.

*Wenn GOT'T ervuvacht,  
Ein stoltzes Land zu straffen,  
Dass hocherhabne Felsen dieser Erden  
In seinem Grimm zerschmettert werden;  
Wenn Sünder wie Gewürm erzittern,  
Weil sie des Hoechsten Zorn erbittern;  
Wenn Er die Pest zur andern Sündfluth macht,  
Das Volck hinweg zu raffen;  
Wenn fast ein Koenigreich  
Wird einem Todten-Haus und Trauer-Bühnen gleich:  
So kan der Auservvaehlten Schaar  
Doch unter GOTtes Flügeln dauren;  
Sein Aufsehn schützt sie für Gefahr  
Mit starcken Mahanaims-Mauren.*

ARIA.

*Wenn GOT den Thron Egyptens drücket:  
Wird Gosen mit dem Shirm bedeckt;  
Lieg Helden-Muth im Staub gebücket,  
Wenn GOTtes Rach-Schwerdt Voelcker schreckt:  
So kan der Heilgen. Wohlergehen  
Mit GOT noch ungekraencket stehen. Da Capo.*

Tutti.

Tutti. *Proverb. X. v. 28.*

Das Warten der Gerechten wird Freude werden.



Nach gehaltener Rede.

Tutti. *Psal. XX. v. 7.*

**N**Vn mercke ich, dass der HErr seinem Gefalbten hilfft, und erhöret ihn in seinem Himmel. Seine rechte Hand hilfft gewaltiglich.

ARIA.

Der Fürsten Wunsch ist nun erhöret:

GOtt hat für Dero Heyl gewacht;

Sie hochbeglückt hieher gebracht;

Die frohe Hoffnung nicht gestöhret:

So croent sein Arm gesalbter Häupter theures Leben,

Er weiss vergnügt der Bitte Krafft zu geben,

So kan ERNESTI Angedencken

Bey spaeter Nachwelt nicht vergehn;

H 3

Vnd

Vnd muß vor Faulniß sicher stehn;  
 Ihn mag nicht Sarg noch Grufft verlencken:  
 Weil annoch kan aus dieses Baumes theuren Zweigen  
 Ein Cedern-Safft der Sachsen-Helden steigen.

Drum legen wir Glückwünschungs-Lieder,  
*Durchlauchtigste*, auf Dero Huld,  
 Krafft unterthaenger Pflicht und Schuld,  
 Erfreut vor Dero Füssen nieder:  
 Wir schicken hier zu GOtt der Wünsche heisse Flam-  
 men  
 Mit Stadt und Land, und allem Volck zusammen!

Tutti. *Joël. II. v. 21.*

Fürchte dich nicht, liebes Land: son-  
 dern sey frölich und getrost.

Wir preisen den Stifster der Thronen mit Schallen,  
 Der untern *Durchlauchtigsten Herzog* erfreut,  
*Die Crone und Mutter des Landes* verneut:  
 Er schmücke SIE ferner nach Hertzens Gefallen!  
 Er wolle Licht, Herrlichkeit, frohes Gedeyen  
 Bey allen Hochfürstlichen Thaten verleyhen.

Er

Er croene das Wohl der Durchlauchtigsten Printzen;  
Die Pfeiler des Landes; der Tapfferkeit Stern;  
Die Hoffnung der Zeiten; der Tugenden Kern;  
Die Zierde der Fürsten; den Schmuck der Provintzen;  
Er lasse gesammte Durchlauchtigste Sachsen  
Wie grünende Cedern auf Libanon wachsen!

E N D E.









Datum der Entleihung bitte hier

Dieser Band wurde 1995  
durch Bestrahlung sterilisiert.  
Verfärbungen stellen  
keine Gefahr dar.

H. Sax B 214

